AD EQVITES LEGATOS AD CONVENTIONEM VARSOVIENSEM PVBLICE DESIGNATOS ET DECLARATOS, DE REGNI DEFENSIONE, ET IVSTICIAE ADMINISTRATIONE.

Andreæ Ciesielskij, Equitis Poloni.

ORATIO.

In qua præterea continentur luculentissimæ & hac tempestate pernecessariæ explicationes.

De Prussiæ Ducatu declaratio.
De Tartarorum contributione.
De Fœderibus obseruandis.
De Moneta corrupta.
De Ciuitatibus & eorum commodis.
De Homicidijs & Pixidibus.
De INTERREGNO.
De Regis electione libera.

VERGILIVS.
Sic omnia fatis
in peius ruere.

PLVRIMIS VIRTVTIBVS ORNATO D. IOANNI SIEMIKOWSKI SIRADIENSI TESAVRARIO ET ORATORI AD

Comitia Varſouień publicè delecto & deſtinato. Affini ſuo.

ANDREAS CIESIELSKIVS S. P. D.

PVblico omnium Equitum conſenſu & magno fauore, Legatus es declaratus Siemikoui, & cum libera poteſtate Mandatorum à nobis emiſſus ad Regni Comitia, ad ſtabiliendas Reipub. noſtræ rationes, quo in munere obeundo, cuncta tibi proſpera, à Dijs immortalibus exoptamus, pariter & collegis tuis, ingenio ac virtute præſtantibus viris. Et quia hunc pulcherrimum laborem, pro communi ſalute patriæ, pro libertate publica, pro honeſtate, pro pace & fortunis, pro cunctis deniq; nobis perferendum ſuſcepiſti. Danda tibi erit opera, vt ad ea omnia conficienda, eam quoq; quam debes & potes inſignem diligentiam ſuam, & omne ſtudium conferas, quo patrocinio & conſilio tuo omnium vtilitati & publicæ ſaluti fiat quam maximè prouiſum & proſpectum, ne autem & ego municeps tuus Nobilis, nihil mandaſſe tibi videar. Qui Schadkouiæ, in celebri illo particulari Nobilitatis Conuentu (aduerſa impeditus valetudine) publicæ conſultationi adeſſe non poteram, & ea quæ mente conceperam declarare præſens, amor meus erga patriam ſingularis, & tua affinitas iure ſuo extorſit, vt ſcriptis ſuis ea mandare non ſum grauatus, quæ hac tempeſtate po-

tissimum necessaria existimabam, quæ tu, si probabuntur, pro sua autoritate fide: integritate, & constantia, ita promouenda suscipies, suscepta vero pro temporis & necessitatis ratione summa perseuerantia transiges, quo patriæ nostræ dignitatem, libertatem, vtilitatem, ac salutem, proprijs suis commodis & rationibus priuatis anteposuisse, nec aliqua in parte illi defuisse, aut vim ac minas alicuius exhorruisse videaris, ac vt ad rem destinatam nostra festinet oratio. Hæ quęstiones infra scriptæ, tibi Legato & custodi libertatis nostræ, ꝓ loco & officio suo, in corona & cōsessu Conuentionis, vel proponendæ sunt ob necessitatem, vel propositæ, ob consilij tui & ingenij non mediocrem gloriam, commoditate temporis ad id sumpta, in hunc sequentem modum studiose discutiendæ.

Ad Equites Legatos

ad Conuentionem Varsouiensem Publicè designatos & declaratos, de Regni defensione, & Iusticiæ Administratione.

ORATIO.

TAnta olim maioribus nostris fuit cura & studium, Equites, sanciendæ & conseruandæ Reipublicæ, vt si eorum præceptis, institutisq; atq; præscriptis legibus, nostram præsentem fluctuantem Rempublicam formaremus, nihil laboraremus, ac fœlicem profecto meliusq; constitutam illam & incorruptam magisq; liberam & quietam haberemus, & conuentionum rarior esset vsus, & sensuum capitis nostri perturbatio, figendo ac refigendo, condendo ac corrigendo nihil profecturas leges, quarum propter abusum iam finis propè nullus. In primis aūt digna haberetur ratio, Clementissimi Regis nostri, à cuius salute nostra dependet salus, nisi fortasse subitos ac repentinos casus emergentes prætendamus, tot conuentionibus agendis, quos maiores nostri, vno, vt dicitur, pede stantes, vno momento, in patentem camporum planiciem euocati conuenientes, sine verborum contentione & tumultu, sola consilij maturitate, tam promptè non tantum absoluebant, verum etiam si necessitas postulabat, ferro & armis, comprobata decreta, executioni demandabant, in hostem incumbentem, celeri veluti cursu sese proripientes, ad regionem vsq; hostilem citius penetrasse,

impetum & audaciam repressisse & afflixisse repentino occursu, quam vel aduersarij à finibus se mouerent proprijs, vel ad resistendum præpararent. Quo facto pace & bello, domi & apud externos, clarissimi & inuictissimi sunt habiti & formidabiles, propagatoque & stabilito Imperio, multis subactis prouincijs, & in ditionem vltro receptis, ad vnumque corpus Regni redactis. Multi Regum nostrorum magnitudine potentiæ suæ confisi, maximis finitimis Regnis cum imperio præfuisse, ac etiam Vngariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Sclauoniæ, Boemiæ, Daciæ Regnis, Moldauis, Russiæ Ptincipatibus amplissimis, Reges & Principes, nulla vi prohibente & obsistente, pro arbitrio suo constituisse & destituisse. Tanta illis fuit virtus, ad omnia maxima pericula pro patria sustinenda, tanta celeritas ad omnes casus repentinos excipiendos, tanta constantia ad durissimos continuos labores, tanta denique cura tuendæ & augendæ Reipublicæ, vt mirum esse non debet, si tanta virtutis contentione Respublica nostra, ad tantam dignitatem & splendorem peruenit, & ad hunc vsque diem fœlicitate quadam, & Deorum immortalium beneficio sarta tectaque permanet, saluaque & incolumis permansura, quo ipsa plures nunc quàm antea curatores & administratores habeat, ad tutellã sui & salutem tuendam comparatos. Nam siue quis ad primorum prudentium Senatorum tantum numerum & dignitatem excellentem oculos vertat, siue ad hunc nostrum præsentem illustrium Equitum ordinẽ & consessum, facile mea quidem opinione iudicare poterit, fortunatam ac perbeatam eam Rempublicam, quæ tantorum & tam multorum præstantium virorũ consilijs regatur. Si enim paruis inicijs & incrementis, ad tantum potentiæ dignitatisque, paucitate & ruditate maiorum nostrorum euecta, & ad fœlicitatis gradum adaucta fuerit, quid non illi possumus polliceri & ominari? nisi ad multo ampliorem ac stabiliorem gloriam potestatemque peruenturam eam, tot consilijs Principum adiutam, tanta virorum fortium multitudine, equitatu plurimo splendidissimoque abũdantem, tot militum armatorum copijs amplissimis & magnitudine, circum septam, Imperatorum ac perfectorum militum audacia atque virtutem munitã & gloriosam, omni suffultam apparatu, opibus nunc quidem refertam maximis & rerum omnium affluentia abundè quasi instructam, atque vtinam hæc bona fuissent nobis Equites stabilia immota atque æterna.

Sed quia à maiorum institutis recessimus, omniaque ferè in contrarium mutata sunt, neque à nobis aliqua iam habetur ratio præscriptarum legum, quarum vbique sacrosancta inprimis debet esse obseruantia. Dij boni, quam magnam hic contemptus & incredibilem in omnibus rebus benè constitutis confusionem & subitam admirabilem mutationem fecit, quantum de dignitate eius detraxit, quantum publicam libertatem labefactauit, omnium benè intelligentiũ animi haud dubiè animaduertunt, & turbato animo maiore cum trepidatione & stupore suspensi finem & euetum tam subitæ immutationis & nefandæ inuersionis intuentur, ac intenti prospectant, cum vident nullum concordiæ, nullum religioni, nullum iusticiæ relictum in Republica nostra locum fractis & profligatis legibus, contemptaque iudiciorum autoritate, nullum Magistratui imperium iuribus repudiatis. Sed omnia Reipublicæ instituta confunduntur: violantur, turbantur & pro-

tur & prosternuntur, omnia sursum deorsum feruntur, ac cęlum terræ, vt est prouerbium, miscetur, dum pro arbitrio suo quisq; cuncta facit, pessimi liberè in perniciem bonorum grassantur, rapinæ designantur, tenuiores à potentioribus opprimuntur, nemine conatibus impiorum resistente, aut iniurias repelente, nihil deniq; tutum cuiq;, nihil certum ac integrum, non facultates, non vita deniq; ipsa, cum nemo prohibeat, cum nulla delictorum fiat coercio. Omnia geruntur vi, fraude, ac cædibus, plena omnia contentionibus, dissensionibus, dissidijsq;, omnia ad seditionem collapsa esse. Quorum omnium malorum quottidiana sunt exempla, vt ea pluribus verbis cōmemorare non opus esse duco, vel quia iusto sine dolore refferri non possunt. De quibus quidem incommodis Reipublicæ nostræ turbandæ ac rationibus constituendæ, anteq; dicere incipio, vos magnopere oro Equites, vt me breuiter edisserentem, pro sua humanitate solita benignè ac patienter audiatis.

Modus conseruandæ Reipublicæ.

VSitatus olim fuit & receptus modus conseruandę Reipublicæ, quem in defensione finium & Iusticia domi administranda, maiores nostri consistere arbitrabantur, quo scilicet primum foris pacata Republica ab omnibus malis & periculis tuti existentes, liberi & incolumes placida in pace & tranquilitate viuerent, vitamq;, fortunas, religionem, libertatemq; à præda hostili ac rapinis saluam integram ac illesam haberent. Domi vero sine mutuis discordijs, nemine læso, iusteq; ac innocenter viuendo, in mutua dilectione, concordiam & pacem rerum omnium altricem &

parentem,

parentem, in officio retinerent, ac in virtute conualescen̄, vitam honestè, modestè, sanctèq; exigerent. Sublata enim defensione, quis vitam intrepidè agere posset? Cum aduersarius vicinus, cupiditate inuadendi nostra ductus, assiduo impetu & excursionibus, nos imparatos & occupatos quotiēs vellet depredaretur, latrocinijs infestaret prouincias nostras, vrbes, pagos, & agros vastaret, nemine insultus propulsante aut cohibente. Iusticia autem neglecta, quibus non calamitatibus fuisset Respublica oppressa? quo non tumultu turbata? quibus non periculis exposita? Quibus malis non inuoluta aut obruta? quibus contumelijs ac discordijs, sedicionibus ac cedibus & rapinis non esset repleta? Hæc vti pręcipua maiores nostri tanta cura & sollicitudine conseruare studuerunt, vt sola concordia & pace, salutem vniuersam, & commune bonum patriæ nostræ contineri existimarunt. Quæ quidem cōcordia & pax, quia sine Iusticia constare non potest, Iusticia autem continetur & definiatur legibus, Iura autem sine Magistratu legum custode non sunt valida, nec conseruantur, ideo nihil tam diligenter quam leges retinebant, quod ijs omnia honesta, vtilia & recta præcipi. Inhonesta autem, turpia, & vitanda prohiberi, rerumq; proprietatem nostrarum tueri viderent, atq; facta etiam inuicem confœderatione & mutua cōspiratione, contra eum & eos se iureiurando obligauerint insurrecturos ad opprimēdum, qui tantam legum præstantiam, vel non obtemperando conturbarent et contemnerent, vel violando publicam tranquilitatē dissiparent & euerterent, tam vtilem perspiciebāt in omnibus Reipublicę partibus legum dignitatem. Quorum vestigijs & exemplo nos quoq; ante vigesi-

mum & se-

mum & secundum annum excitati, post intermissam & penè collapsam legum obseruationem. Rempublicam nostram, omni varietate malorum satis superq; quasa tam atq; vexatam stabilire ac disponere statuentes, in melioremq; pristinum statum iterum restituere atq; componere cupientes facta consultatione, nullum magis tēpestiuum remedium tam præsentibus quàm imminentibus malis omnibus & reformandæ, aptãdæ & dirigendæ Reipublicæ visum fuit, nisi sua legibus restituta quamprimum autoritate. Ideo inprimis Serenissimum Regem fœliciter nunc cum imperio præsidentem, non solum ad iura communia, statutas leges & Priuilegia obseruanda, finalemq; executionem, ijs & alijs omnibus, quæ legibus præcipiuntur sibi ostendendis, faciendam, religionis sacramento obstrinximus. Sed etiam vt iuxta eas subditos regat, pœna periurij si contrafecerit adiecta, ad quæ omnia conficienda, tot Conuentiones transactæ, tanti sumptus facti & impensæ, non paruo suffecturæ exercitui, hac tamen opera & contentione duo duntaxat statuta, De Vnione Ducatus Lituaniæ, & prouentibus Regalibus extant interpreta, declarata, & ad effectum deducta, (quæ vtinam firma & perpetua permaneant.) Alia vero adhuc corrigenda in Comicia hodierna sunt reiecta & deuoluta, quæ si tam segniter & cunctanter à nobis etiam fuerint tractata, omnis spes nobis & posteritati nostræ præcisa erit, aliquando obtinendi vel assequendi eam legum deprauatarum emendationem, si tanta tarditate & cunctatione de singulis articulis disceptandum erit nobis. Quod si vero fœlicitate quadam citius consequi liceat, quid refferremus commodi? nisi veteres quasi obsoletas & collapsas leges, paucis commu

tatis verbis,

tatis verbis, scripto publico confirmabimus (Regia Magestate ad omnia consentiente) ab executione autem & obseruatione illarum supersedebimus? quasi in scribendo & præcipiendo tantum & non in seruando leges consistant? Vnde fit, vt scriptas solũ habeamꝰ leges, multis repetitis verbis & literis exaratas, ordinẽ autem rectum in Republica nullum, nec proculdubio habituri, nisi cautione facta, ne semel latæ leges, aut res iudicatæ, vel decreta, aliaq; omnia iustè imperata vel vetita, deinceps aliqua audacium temeritate rescindantur, irritentur, dissoluanturq;. Quia vero plures formidine penæ potius, quàm virtutis amore peccare desinunt. Magistratus autoritate in officio essent tales retinendi, & seueritate pænarum reuocandi & cogendi, quæ facultas quia Regiæ Magestati incumbat, tanquam legum & libertatis nostræ defensori. Non sufficit illi ædictis tantum & imperio vetari & polliceri ad dandas literas gratia commonefaciendi officiales Regni, vt sua exequantur officia, nisi confestim puniantur non obtemperantes, nam longius differre periculosum est, cum impunitate alitur ista negligentia & legum contemptus, neq; satis est, defectus cognoscere, literis commonefacere, constitutiones scribere, nisi vt præmissum est, fiat prouisum, quo volentes nõ lentes de mandatis defungamur officijs, quæ plerumq; vt reliqua omnia differre solent & protrahi, sic enim leges retinebuntur, si & obseruentur & custodiantur, & contemptores earum dignis afficiantur pœnis, qua in re, etsi propositæ etiam extant penæ, sed in quem facinorosum fuisse aut non obtemperantem extensas? Quis delinquentium aut recti honestiq; iniquus trãsgressor supplicio affectus? Quis delator criminum &

defectuum

defectuum aliorum Statutorum ita constitutus est. (Quemadmodum Reuisores, Recuperatores, Lustratores, ad retinendos integrè fisci prouentus constitutos esse videmus) ad conseruandam in suo ordine Reipublicæ Symmætriam, nisi id oneris nobis terrarum nunccijs frustra impositum esse fateamur. Et fatemur id quidem libenter, & satis nos perfunctos esse officio nostro putamus, cum hactenus nullius victi præcio, nullis allecti pollicitis, nullis deterriti minis, omnia impedentia pericula, & quibus grauaminibus oppressa sit Respublica, hoc in loco ad Regiam Magestatem & Senatum amplissimum quottannis differre studuimus, nec cessamus vulnera illius ostendere, defectus exponere, & magno impendio & sumptu hic moram in Comitijs agere, promptissimis animis Reipublicæ cōmodis inseruiendo. Et quamuis pro tantis nostris meritis, & functione sua fideli & honestissima, inuidiam & ingratitudinem, pro gratia autem & beneficio, odium atq; offensionem referamus. Tamen non molestum adhuc erit, pro communi salute, pro libertate publica, pro dignitate & decoro, quosuis duros perferre labores, & quæuis aduersa spontè subire, ac vitam deniq; ipsam offerre, si quid virtute, fide, opera, & conatu nostro perficere valeamus, ad rationes & commoda Reipublicæ constabilienda & conseruanda. De quibus rebus, quia in hac Conuentione mihi quoq; dicendæ sententię necessaria data sit potestas & locus, dicam apertè breuissimis quid sentiam verbis.

Defensionis modus.

DEfensionem optimam eam esse iudicamus, quæ mercenario constat milite. Et quamuis nos cum Regia Ma-
Regia Magestate, ad propulsandam omnem à finibus Regni hostium vim teneamur. Quæ seruitus tamen ista liberis indigna, sine intermissione in armis, procul à domicilijs, & focis lariū, à liberis & agris suis, quasi in statione perpetua excubare: hostem expectando moram diutius agere: & multitudine sua custoditas prouincias opprimere & aggrauare: Quo pacto autem ea fouenda militia, & quibus stipendijs, quouè commeatu sustentanda, de hoc fuit hactenus disceptatum. Donec Regiæ Magestati, ex legibus fuisse ostensum, bona & possessiones Regales, non pro persona solius Magestatis tantum, sed etiam pro tuitione & conseruatione, pro necessitatibusq; occurrentibus Regni totius à principio ordinata fuisse, benignè consensum præbuit, vt quartam suorum omnium prouentuum partem non grauatim obtulerit, ad ea præsidia finitima. Quæ quarta pars fructuum, quantam peccuniæ summam constituat. Quanto suffectura militi, nec dum ex reuisione & lustratione aut rationibus nobis constat. Quo egregio facto, iam se sua Magestas, suo veluti perfuncta munere, solutum ab eo tuendorum finium onere arbitratur, iustè collata ea quarta parte, ac vt nos suo excitaret exemplo, ad querendum quoq; ex parte nostra modum, dux & autor esse voluit. Et cogitantibus nobis, non alia magis cōgrua videtur esse ratio, & tolerabilior, quàm vt ad eam quartam partem à Regia Magestate oblatam, de Decimis à nobis olim clero nullo iure deuotis, ex singulis Lanæis per decemocto grossos peccuniæ quottannis conferamus. Et Ministris veris circa Ecclesias parrochiales residentibus per sex grossos exoluamus. Nullā enim parrochiam adeò tenuè dotatā esse scimus, quæ dotis nomine certa agri iugera non

iugera non posſideat, pro ſuſtentatione ſua, ad quam ſi de ſingulis pagorum ad parrochiam pertinentium Lanæis dictos ſex groſſos haberent, ſatis abundè & melius quam nunc illis de victu & amictu fuiſſet proſpectum (ociosis nunc cuncta occupantibus) & miſeris agricolis, ex famis eos opprimentis clade nec dum liberatis, & aſsiduis laboribus confectis, & iam exhauſtis, ad extremamque inopiam redactis valdè conſultū. Teſaurarij autem terreſtres vulgariter Skarbnici, colligendarum & exigendarum pro defenſione peccuniarum prædictarum haberent facultatem, ad id enim à primordio ſingulis in prouincijs inſtitutos fuiſſe certū eſt. Et ne quis durior Criticus Cenſor, me rerum nouandarum autorem eſſe arguat. Ante aliquot annos quodam Commentario oſtendimus, rem non nouam fuiſſe, pro neceſsitate Reipublicæ, Decimas militibus diſtribuere, quinimmo atteſtantibus etiam legibus Canonicis, commodum in melius commodum conferre licitè poſſe, ac datum ob cauſam, cauſa non ſecuta poſſe retractari. Archiepiſcopi autem Epiſcopi, Præpoſiti, Canonici, bonorum terreſtrium poſſeſsionibus eſſent contenti, non propterea, quaſi ea neceſſario aut iuſtè poſsiderent pro Epiſcopatu aut Senatoria dignitate. Cum nemo Deo militans implicat ſe rebus ſeculi, & Leo nonus, ſanxiſſe legitur, ne Clærici tractarent ſecularia, nec diſcipulum Dei eſſe eum, qui non abrenunccia uerit omnibus ijs, quæ poſsidet. Et Caſtellani plurimi ad Senatum pertinent, nullis cumulati opibus. Sed vt ſatisfiat Decreto Conuentionis Anni 1532. vt ſcilicet Nobilitas regni, quæ potiſsima eſt ipſius porcio, præcipuum habeat ſtatus & prouectionis ſuæ ſubſidium & adiumentum. De quibus quidem bonis,

dem bonis,

dem bonis, quia eodem iure gaudeant, quo & noſtra, ad generalem belli expeditionem nobiſcum teneātur, ne Reſpublica eorum rapinis quaſi denudata, & defenſione ex tercia penè parte regni fruſtrata & fraudata eſſe videatur, vel Decimas retinerent, bona autem pro fiſco Reipublicæ dimitterent. Monaſteria autem benè meritis viris, in rebus bellicis peritis & exercitatis, quaſi Cōmendatoribus diſtributa, ſeruirēt in tātis difficultatib⁹, ad omnes ſubitos caſus emergentes & repentinos impetus, adminiculoque eſſent, etiam militibus ſtipendiarijs, ſi hoſtis inopinatus, maioribus copijs Regni aliquam prouinciam inuaſiſſet, impetum ei⁹ & inſultus ſua virtute celeriter detinerent, cum prouinciarum Capitaneis ac aliorum periculorum ſuorū ſocijs, dum nos præſidio magis numeroſo, & cōmunibus viribus ſubueniāus. Regiā præterea Mageſtatē, pro Comicijs ingredientē aut egrediētem, vel ad prouincias remotiores trāſeuntem, more Aulicorum, magna cum dignitate deducerent. Exteros Legatos expediēti aſsiſterent, ad publicum bonum, patriæ ornamentum, ſplendoremque Regis maximum, & Imperij Mageſtatem retinendam, & apud exteros augendam amplificandamque non parum hoc pertinere. In templis nihilominus illorum, ternis vel quaternis Monachis, ſi videbitur pro boatu ſolito relictis, quorum & hodie numerus paulò excedit, plura autem prædia & pagos vbertate agrorum fertiliſsima, habere, in quibus inutiles Abbates, nulli vſui terræ pondera, ſaginati duntaxat luxuriantur. Cum & Maiores noſtros, cum Monachis Theutonicis in Pruſsia hoc idem feciſſe olim cōſtet, & in meliorem vſum redegiſſe inutiles illos Cruciferorum ordines.

Etſi autem

Etsi autem non defuturos esse multos, qui me talia veluti indignissima & abominanda persuadentem diris grauiter deuotum condēnabunt, horum ego odijs nihil commouebor, nam desiderium & charitatem patriæ omnibus purpuratis pluris facio, salutemq; utilitatem & libertatem illius præferro omnibus amicicijs, honoribus & commodis suis. Decet enim cunctos augmenta patriæ suæ cogitare, iuxta Cassiodori doctrinam, atq; vtinam illi rationem meliorem defendendæ Reipublicæ nobis proponerent, quo simul nobiscum diutius optata pace delicijsq; perfruantur, in tanta hostium qua sumus circumsepti frequētia. Neq; enim vt disoluantur politiæ suadeo, sed modum commodiorem statuere defensionis non possumus, quam vt de pabulo ociosorum hæc particula alieni laboris dematur, hacq; ablatione superfluorum, & illis, & nobis, & colonis omnibus fiat abunde prospectum, Ecclesiarumq; status, supersticione & abusu duntaxat sublato, ac cultus diuinus, pura in religione cum ministris suis altari seruientibus, esset conseruatus. Acerbius fortasse & grauius alij, quibus maior ratio & Reipublicæ non minor inest amor statuere velint, vt Archiepiscop⁹ Trzemessna illi adiecta, Gneznensem Ecclesiam pro sustentatione sua, non sine certa ratione esset contentus, optima enim pars mēbri, quæ suo cōgruit corpori. Nam Gneznæ corpus, Trzemessne caput Sancti Alberti reconditum fertur, integrum ac indisolutum remaneat sine Abbatis & Archiepiscopi cōtentione, Cracouiensis Mogilam loci vicinitate & amenitate maximè allectus concederet libenter, Cuiauiensis haberet optionem, vel propè VOLBORIAM traducendi SVLeiouiam, vel in Cuiauia, propiorem Ecclesiæ suæ

Ecclesiæ suæ Coronouiam aut Papouiam, vel si magis eum maritima delectat Pomerania, vbi & Episcopus est, Oliuam præferat, Poznaniēsis de Czijazim in vicinum Lendum transiret, Plocensis Ceruenensem Abbatiam cum vtraq; oppidi nunc dismembrati parte obtineret. Leopoliensis Antistes ad Iactorouieñ Monasterium propè Dunaiecz non remotam neq; ingratam migrationem esset sortitus, & sic aliorum quisq;. Nam ea quæ nunc possident bona amplissima, sunt merè Reipublicæ, certis personis ad vitam duntaxat concedi solita, rectè in vsus Reipublicæ conuerti possunt, prouisione Episcoporum honesta facta. Quam pontificum talem traductionem, neq; improbarem ego, nam nihilominus pontifices fuissent, eandem religionem sacram, autoritatem ac dignitatem, intemeratam & stabilem retinentes, nisi crederem, sufficere posse, pro mercenarijs militibus, cum quarta prouentuum Regalium, eam anniuersariam coniunctam Decimarum contributionem, possem & allegatas huius rei adferre iustas rationes, quibus nituntur persuasores. Sed aliena iudicia dilatare nolo, breuitati studens ad sua redeo.

Quod si vero adeò fuerimus indurati, vt potius ex sanguine ex visceribus veluti hausto miserorum subditorum, & cum lachrimis eorum amplius pro milite mercenario extorquere & exigere placuerit tributa, vereor Equites, ne dum ociosis parcimus, nosmet ipsos hoc onus defensionis perferre, vel ob impotentiam & inopiam incolarum impensas solos conferre, & ociosos nihilominus fucos fouere labore nostro oporteat, vel si nihil horum concedimus, nudatas & orbatas destitutasq; præsidio finitimas prouincias hostili prædæ exponemus

exponemus diripiendas, vel subditos nostros grauioribus tributorum oneribus totiens oppressos nunquam respirare faciemus. Hoc vnum tamen precibus additis, cum gemitu deprecamur, vt ritu maiorum, iuxta veterem consuetudinem, seu quiestationes & taxata antiquitus bona, & non secundum nouas excogitatas possessiones & locationes cōtributio deinceps decernatur, ne prouinciæ nostræ & bona talibus insolitis nobisq; acerbis tributis subijciantur & opprimantur, aut ad iuramenta inusitata, de pluribus possessis vel negatis Lanæis, per exactores adigantur. Neq; enim dubium est, olim cum duo decernerentur grosi, per liberā submissionem maiorum nostrorum, iam taxatos fuisse, omnium villarum fundos & agros. Nam aliter nō potuissent exigere ea fumalia, nisi singulis Lanæis cōputatis & ad calculum reuocatis, considerataq; bonorum & hæreditatis cuiusq; circumferentia & quantitate, quod si autem industria & opera nostra plures nunc, quam antea (dum decernerentur fumalia) conspiciantur agri, sed syluarum mæricarum, glandinis & pascuorum facta vicissim diminutio, vt iusta non videtur esse causa, cur à pristina consuetudine per antecessores approbata, recedere debeamus. Et ideo Priuilegijs libertatem nostram præseferentibus cautum esse verbis expressis apparet, de possesso (& non in posterum possidendo) Lanæo, idq; iuxta veterem consuetudinem esse soluenda fumalia. Videmus enim reuera, alios fundos, penitus iam extirpatos, agris tantum patentibus perspicuos, multo minoris esse circūferentiæ, alios vero non eradicatos plurimis syluis & nemoribus abundare, esse tamen maioris quantitatis. Quæ igitur iusta æquabilitas esset, de minore hæredi-

tate agris tantum constante, syluas nullas habente plus, de maiore vero, quod stagnis, piscinis, syluis, pratis, pascuis, magis opulentior sit quam agris, minus, contributionis nomine exigere? Quapropter mos hic patrius & quidem probatissimus, quæso, retinendus, vt seruetur illa pars Iusticiæ æquabilitas, satiusq; plures grossos, iuxta inueteratam consuetudinem & vsum acceptum, quam pauciores iuxta nouam non pridem excogitatam, vti intolerandam & grauem cōsensu vestro iudicioq; probare atq; decernere, reclamantibus nobis, in animum inducatis.

De Tartarorum Contributione.

AD hanc defensionis partem pertinere arbitror, de Tributo Tartarorū. Quod illi inueterato quodā iure, quotannis sibi à nobis pendi postulant, id ego cōstanter denegandum illis esse duco, partim vt indignum & intolerabile quod à liberis nulla necessitate laborantibus pendatur, partim quod eorum nequissimorum prædonum ferocitas & cupiditas, à præda, furtis, rapinis, excursionibus, latrocinijs & incendijs funestis, nec eo stipendio publico satiari cohiberi aut arceri possit, nisi præsenti militum virtute, ac ferri viribus retineatur & frangatur eorum immanis audacia & furor perniciosus comprimatur, exēpla non solum vetera & recentia, quam quottidiana docent, Premirka, Bracslauia, ab illa nefaria peste expugnata, Miedzibozia obsessa, vici complures exusti, aliaq; loca pleraq; desolata, & vastitate agrorum horrida. Et Strusij ac Goslicij, & aliorum militum cædes, vincula captorum sociorum nostrorum in seruitutem abductorum, sine numero concisæ & afflictæ cohortes & stra-

ges testantur, latronibus istis nullam inesse fidem, nisi armorum strepitu conficiantur & coherceantur. Satius hoc stipendium, in publicum præsidium conuertendum, loca opportuna stabili custodia & præsidio muniendo. Et ne totiens numero hominum ac multitudine quasi fluentibus copijs possint prouincias nostras peragrare & inundare prouidendum. Ne dum potentissimum & sæuissimum Turcorum dominatũ non patimur, eorum seruis cum ignominia tributarij esse videamur, sufficiat illis agrorum nostrorum fertilissimorum, pro hac vice occupata possessio, quorum nomine illi omnia subsidia nobis tenentur. De quibus sedibus absq; dubio per maiores nostros fuissent expulsi. Nam & Viltholdus dux Lituaniæ, vt extinguere tillos & lapideos pontes extruxisse, & vt moraretur ibi, & balnea sibi parasse, memoratur, locupletatumq;, nec immerito, à Regno fuisse, certis illi adiectis prouincijs, propter onus belli facilius sustinendum, nec spe sua frustratus fuisset, sed ad pruthenica reuocatus bella, per Iagiellonem Regem conficienda, eam Tartarorum colluuiem secum ambo traxerãt. Et non solum in occupato solo illos morari, & ad tantam multitudinem redundãtem excrescere sunt passi. Sed etiam in Lithuaniam agris assignatis ad incolendum induxerunt. Qua multitudine freti, sicut & Cruciferi, plura occeperunt occupare loca, & in nostras hic prouincias vsq; penetrare, totis vicinis regionibus formidabiles. Quod si vacuos sine aliqua spe & pollicitatione redire nolumus eorum Legatos à Comicijs nostris, possumus illis polliceri retributionem, si quando nobis bello laborantibus, aliquid præsidij suis attulerint copijs.

De Prussiæ

De Prussiæ Ducatu declaratio.

ET quia in Prussiæ mentionem incidimus, non alienum fore ab instituto nostro putamus, si sententiam nostram hoc in celeberrimo loco & Conuentu proferamus, præsertim cum ipsius prouinciæ retinendæ ratio, ad defensionis quoq; partem pertineat. Cuius prouinciæ restitutionem principes Germanię, summo cum studio & quærella, tanquam vi ereptam & iniquè possessam à nobis non cessant postulare. Nos vero iam non rogare aut expectare finem & pacem, sed mendicare hactenus apud eos non destitimus tot petitionibus, vt eam prouinciam, bona cum eorum venia tranquillè possidere liceat. Quasi non satis iam à multis annis demonstrata illis fuerit & declarata Regni æquitas & iusticia, tot pactionibus, transactionibus perpetuis, conuentionibus, deductionibus & Legationibus? Atq; vt pauca pro multis ex Annalibus & ex Legationibus deprompta & descripta adferam, quomodo durantibus bellis prutenicis, quæ Reges olim nostri iustè & legitimè longoq; tempore gesserant. Diuus olim Fridericus Cæsar, non solum non aduersabatur actioni bellicæ maiorum nostrorum, sed etiam singulari fauore partes illorum est prosecutus, nec paci perpetuæ aliquando contradixit aut eam impugnauit. In qua actione bellica & sanctione pacis, si iura Imperij, aut superioritatem suam offendi aut perturbari cognouisset, profecto vt diligentissimus prouisor & defensor Imperij iurium, id nequaq; silentio prætermisisset, neq; admisisset quicquam fieri contra suam & Imperij dignitatem. Quo pacto autem ea irrita esse debeant, quæ firmissimis fæderibus sancita iuramen-

ta iuramentisq; ac longa possessiõe firmata, & ab olim Friderico fauorabiliter suscepta, nulla certe iusta videtur ratio. Cuius causæ declaratio & Maximiliano olim prudentissimo Cæsari, in tantum iusta visa fuit, vt non tantum Gædanum, Elbingum proscriptionis indignitate à Cameræ suæ Imperialis iudicio notatas liberas & solutas esse voluerit, sed etiam decerneret, ne deinceps ad cuiuscunq; instantiam, ex quibuscunq; causis in futurum bannirentur & infestarentur, neq; se Magistrum Prussiæ ab officio obedientiæ Regibus & Regno Poloniæ debito subtracturum, neq; consilium vel auxilium in detrimẽtum & præiudicium Regni præstaturum literis suis est testatus, idq; sanctissimè obseruauit. Ac tandem Posonij & Viennæ, in cõgressu Regum cum eodem Cæsare, plures hac in re intercessisse tractatus, de quibus nos priuati homines nihil certi habemus, à patribus tamen nostris, qui & superstites adhuc viuunt plusq; nonagenarij accepta referrimus, non tantum contractas ibi fuisse affinitates Regum, & societatis atq; amiciciæ fœdera ad inuicem confirmata & corroborata, sed etiam successiones in Regna Vngariæ & Boemiæ decretas. Si Ludouicus Rex illorum Regnorum stirpe Regia deficiente decederet, prout fato iniquo sine prole decessit, vt Ferdinandus Austriacus Cæsaris illius nepos, ducta Anna Ludouici sorore Germana succederet, Sigismundo nostro clarissimo Principe ad ea omnia tanq; patruo, vna cum Vladislao Rege Germano suo fratre, patre vero Ludouici & Annæ consentiente, ac vt propterea Regnum Poloniæ in pace perpetua ac potestate Prussiam sine quouis impedimento retineret, hæc ita conclusa fuisse multi recordantur. Quod & probabile videtur esse, quomodo enim firma inter illos cõstare potuisset contracta amicicia, & fœdera permansissent inuiolata, nisi omnes occasiones futurarum controuersiarum fuissent penitus amputatæ & sublatæ? Quibus pactis Sigismundus Rex noster constantissimè fertur stetisse, nam post infœlicem Ludouici occasum, postulatus ad Regnum Boemiæ, Regna illa ad se iure successionis pertinẽtia strenuè recusauerit, sed volũtariè quoq; Ferdinando cesserit. Ac post obitum tandem Ioannis Vngariæ Regis, non tantum se abstinuit, à Regno inuadendo, vbi filiam cum nepote, chara pignora habebat, sed etiam solenni decreta Legatione libenter concessit, ac tantum abfuit, vt impedire eum voluisset, quo minus tranquile in Regno Vngariæ regnasset, vt adiutum etiam pro virili sua cuperet, cautione duntaxat facta, de restitutione dotis SErenissimæ ISabellæ Reginæ, partim datæ, partim promissæ, ac filio eius, iuxta præscriptas fœderum conditiones. Qua in Legatione, illud fuit adiunctũ non tantum esse Regnum Vngariæ Serenissimo Regi Poloniæ, vt illius causa rescissam velit concordiam & amiciciam, quæ illi cum Magestate Romanorum Regis summa intercedit, quam etiam quibuscunq; accessionibus auctam velit potius & amplificatam. Ac vt ad institutam redeam rationem.

Recrudescente bello, ac Prussię Magistro circa Annum Domini 1520. recalcitrante, Iusq; iurandum debitum præstare nolente. Carolus Cæsar inuictissimus, certissimis adductus rationibus, & scriptis suis & nuncijs Magistrum magnopere hortatus fuit, ad præstandum debitum nostro Regno, ac cum summorum pontificum & Regis Vngariæ Ludouici Oratoribus, suos

ribus, suos legatos ea dissidia ac contentiones, pro di/
gnitate ac necessitate certis tractatibus, componere
sepius studuit. Donec Magister tandem sibi prospici/
ens, ac à factione sua se desertum videns, deposita ar/
rogantia, animoq; demisso atq; humili supplexq;, me/
dio certorum suorum amicorum & arbitrorum inter/
uentu, non sine magno clementiæ Regis testimonio
& fauore, eas quas nunc possidet terras in feudũ obti/
neret, hodieq; Illustris eiꝰ filius facto, omagio, obtinet.

Quid igitur amplius nobiscum expostulant Ger/
mani? Cur sopita per antecessores & præterita nego/
cia tanta cum insolentia excitare & refricare volunt?
Cur tanta cupiditate ardeant recuperandæ Prussiæ de
manibus Christianorum? An non spaciosum satis ha/
bent depugnandi campum, si non pro Imperio potius
& sede imperiali Constantinopolitana cum Turcis, &
pro libertate Christiana, at pro istorum, si dijs placent,
Cruciferorum religiõe, vt illis potius Rhodum à Tur/
cis, quàm Prussiam à nobis recuperent & restitui cu/
rent. Quod si vero quis eius se ordinis esse profitetur,
(adferam enim ex Legatione ad Carolum Cæsarem
verba) vt se obstrictum esse existimet, ad propugnan/
dam fidem Christianam, ad fines Christiani orbis pro/
pagandos. Is Iusiurandi atq; officij sui memor non in
Christianos arma sua conuertat, non Christianum san/
guinem profundere, non ciuile bellum & intestinum
gerere conetur. Sed cum nimium iam progressus sit
sæuissimus hostis Christiani nominis sempiternus
(quod sine magno animi dolore cõmemorare non pos/
sum) & vlterius in deterius progrediatur, illum à Chri
stianorum finibus arceat, contra illum, Magisterium
suum & artes exerceat, vt quod verbo & nomine pro/
fitetur, re/

fitetur, reipsa ostendat, an non illa res lachrimis & cõ/
miseratione digna est? Cum ceruicibus nostris impen/
dere videamus potentissimum hostem, cũ oculis ipsis
cernimus, summum in periculum ac discrimen addu/
ctam esse vniuersam Christianam Rempublicam, cum
tantum vix non vocem ipsius supplicem audiamus,
vt depositis odijs & intestinis inimicicijs syncerissimo
& promptissimo animo accurramus ad rem tuendam
& defendendam. Esse nihilominus, qui alienis sibi
vendicandis Ciuile bellum excitare & fraterno san/
guine manus suas madere malint. Id si quicunq; Chri/
stianorum principum conaretur, quis est, qui conatũ
hunc eius non improbandum duceret? Nunc vero fe/
rendum putemus, id eos potissimum moliri, qui se or/
dinis eius Magistros profitentur, qui non ad impugnã
dam, sed ad propugnandam Christianam Rempubli/
cam dicitur esse constitutus, sed vetus hæc eorum fuit
consuetudo. Nam quoad in terris Prussiæ, hoc genus
Magistrorum vixit, ita se gesserunt, vt contra infide/
les gladium nũquam strinxerint, sed plurimus eorum
opera sanguis Christianus sæpe sit profusus.

Huic ordini acceptum ferre debemus, quod nunc
tanto versatur in discrimine tota Respublica Christia/
na. Nam si per ordinem hunc maioribus nostris licu/
isset, in Christiani nominis hostes conuertere vires su/
as, nunquam eo fuissent progressi, quo (proh dolor)
progressos nũc videmus perfidissimos hostes, non sine
nostro omnium pudore, non ita nunc essent toti orbi
Christiano formidolosi, non permisissent proculdubio
tanta Tartarorum examina in terris & finibus suis
commorari, qui penetrato etiam olim Regno nostro,
alias vicinas Regiones magnis inundauerant cladibꝰ.

Sed perinde ita se gessit ordo is semper, vt si non ad impediendos Christianos, quo minus arcere possent infideles, verum etiam ad eos vltro bello lacessendos, ad sanguinem eorum hauriendum constitutus esset.

Itaq; tanti terræ istæ non sunt omnes Prussiæ, quanti earum causa labores suscepti, quanti sumptus impensi, quantæ Christianorum cædes factæ sunt. Hæc an non potuerunt permouere Germanos, vt finem tandem cædium istarum esse iuberent, profundendi sanguinis Christiani? An tanti faciunt vnum Monachū? vt Imperium suum, & ditiones Regni nostri, in funestissimum & dubium belli discrimen & ingens periculum adducere atq; adeò in ruinam & interitum trahere non dubitent, quo bello neq; Reipublicæ Christianæ quicquam perniciosius, neq; communi omniū hosti vlla vnquam res vtilior commodiorq; euenire posset, an repetere non possunt animo suo, quàm illis exiciales semper fuerint eiusmodi violentæ recuperationes? Nam Vngariæ Regnum ammissum, nec acquirere poterant, Sclauoniæ acquisitum Regnum, vno autumno totum in potestatem Turcorum iterum recidisse. Taceo tociens Prussiam tentatam & oppugnatam, in qua quantis cladibus sæpe affecti fuerint, Deo propicio & iusticiam nostram promouente, non tantum historiæ scriptæ, sed loca illa testantur, infinita Germanorum cæde repleta, & sanguine plurimo profuso madentia Prussiæ causa, an nesciunt nos illis prognatos esse parentibus & Ducibus? quorum virtute & manu, non solum Prussia defensa & conseruata, sed etiam arrogantia eorum compressa, & cupiditas illa incensa restincta fuit? multis eorum consumptis, afflictis & prostratis.

Quid iuris autem vendicant in Gedanum & Elbingum? tantumdem, ac si Cracouiam & Posnaniam ad se quoq; pertinere affirmarent, & iussa sua non excipi eñ proscriberent, ac nobis expostulantibus literarum munimenta proferre suis in Conuentibus Imperij statuerent, quibus constaret Ciuitates illas Regni nostri esse proprias. Cum ipsi soli nihil etiam producunt, quo doceant esse vel fuisse illas imperij Ciuitates, saltim nudis & non probabilibus verbis Cæsar affirmat à statibus Imperij se documentum habere, eas Ciuitates ex antiquo pertinuisse ad Imperium, quæ tam certa sunt, vt quàm incertissima, quasi à relatione statuum Imperij res nostræ dependeant, an nesciunt sui Imperij leges? In dubijs causis, ac etiam in pari & æquali actione, meliorem & potiorem condicionem possidentis, ac vbi ad extremum amborum litigantium & potitorum iura obscura & antiquata esse constat, pro possessore leges decernere solent.

Quid autem Iuris ad Monachos Cruciferos in Prussia habeant? Tantum atq; ad reliquos in Polonia rasos sacerdotes, nisi eum prætendant prætextum, natione Germanos fuisse. Et in Landensi, Bledzouieñ, & Parisiensi propè Miedzirzecz Monasteriis, omnes ferè Germani Monachi sunt, ac non liceat propterea inutiles (vt dictum est) eorum ordines ad vsus pro necessitate Regni meliores conuertere? Cum in toto ferè Imperio Germaniæ hoc licere vidimus, vel ad doctorum & studentium Gymnasia Monasteria esse translata, vel penitus desolata, hanc nobis pestiferam calamitatem excutere non licuit? Quod alijs Regnis & gentibus licitum fuisse legimus, vt hos Cruciferorum ordines, vti pessimum & noxium seminari-

um, & penitus exterminarent & radicitus extirparēt. Itane Germani etiam contra bonos mores in aliena Republica curiosi & officiosi esse volunt? In Vasallū Principem, in quem nihil iuris est cuiquam liberè proscriptionis decreta ferre audebunt? Neq; tam sollicite rogati continere se possunt, quin assiduè instent & vrgeant nos summa cum audacia & importunitate, magna & quæribūda voce quottidianisq; legationibus restitutionem Ciuitatum & Magistri postulantes, sed vulgares sunt istæ & obsoletæ eorum querelæ, quas vos vti iniustas & indignas aspernari & contemnere debetis ac refutare, ne nimis inutilibus ac terroribus mætum amplius incutiant nobis. Neq; enim maiores nostros Iura Prussiæ tantum defendisse constat, sed etiam suas ab illis iniquè possessas prouincias vendicare studuisse, Slesiam, Pomæraniam, Marchionatum, Lubuceum Comitatum (cuius præsul nō ita pridem Regni nostri Cōsiliarius fuisse. Et Opatouiam in Sandomiriensi Palatinatu possedisse & venundasse legitur) & alias maritimas vrbes à maioribus nostris olim fundatas, Lubecum, Rostocum, Bremam, Vismariam, Michelburgum & alias plerasq;, partim perfidia suorum Principum, partim nomine dotis à corpore Regni auulsas, vt potentissimum Iagiellonem Lithuaniæ Ducem, non tam ob Imperij accessionem expetitum & ascitum Regem creauerint, quàm vt magnanimitate sua, abalienata à Regno recuperaret iureiurando obligauerint, & alios postea per successionem legittimam Reges, prout & historici rerum nostrarū, & ipsorum Germanorum scriptores in suis Chronographijs expressè testantur, non tantum Regem Iagiellonem ob id ipsum inauguratum, sed & Regiones

illas merè in fundo Regni nostri sitas esse. Quid si Rex noster, pro obligatione & officio suo, tot iniurijs Germanorum lacessitus, tot iniquis petitionibus Prussiæ irritatus ac proscriptionibus sui vasalli & Ciuitatum permotus, par pari referens, omnes dictarum prouinciarum Principes ac Ciuitatum malæ fidei possessores olim ditioni maiorum suorum subditos, nunc vero expresso Imperio suo non obtemperantes & præfractos ad præstandam sibi obedientiam & omagia Regno ad præstitutum tempus vocaret, & non comparentes, neq; redire volentes ad Regni corpus, à quo perfidia maiorum suorum exciderāt, decreto quoq; & condemnatione proscriptionis tam iustissimè feriret, sicut illi Principem nostrum socium & Gedanum cum Elbingo nullo iure proscripserunt, sed nemo est adeò insipiens, qui non intelligat. Quid sibi velint istæ eorum compositæ & confictæ querimoniæ, vt scilicet hac tergiuersatione & criminatione nos apertè circumuentos, vel euertant iure nostro, quos ignaros litium benè nouerunt, vel tumultu factionibusq; impletos, ad noua denuo secum transigenda pacta eludant & traducant incautos, quo rebus suis in tuto collocatis, sine impedimento & molestatione mutua, illis occupatam iniustè Slesiam impunè retinere, nobis vero nostram hæreditariam & propriam Prussiam, sine querela nouis pactionibus tranquilè possidere liceat. Quasi illorum tam vera & grauis sit æquitas & iusticia, quàm nostra verissima & confidentissima causa. An sunt obliti Conuentionis illius Vratislauieñ, in qua Iagiello ille Rex fortissimus, memor illius suæ obligationis præsens constāter repetebat Slesiam à Rege Boemiæ, & iam obtinere potuit, nisi grauis videretur conditio

à Boemis oblata, vt scilicet Poloni loco compensæ, pro necessitate Boemorum Sexcentenis (ni fallor) hastatis suppetias ferre obligarentur, quasi vna Ciuitas vel districtꝰ id præstare in Slesia non potuisset? vel successu temporis hæc conditio aboliri & antiquari non potuisset? Sed adeò iustam causam ad Slesiam recuperandam nostri maiores habebant, vt nulla pacta acceptare, nulla conditione ob illius restitutionem obligari volebant. Quare desinant amplius iam nobis insultare & imponere, satis enim eorum deprecati sumus animos, satis placare ac mitigare studuimus ne quidquam superbam ac innatam eorum arrogãtiam, satis deniq; pro iure pro iusticia nostra exoratum fuit, satis sunt nobis comminati, & iam quasi victores de nobis occinerunt Triumphos, ante victoriam, sufficiat illis ista Regum nostrorum pijssimorum & sanctissimorum modestia, qua vsi sunt hactenus in exoranda pacifica possessione Prussiæ, sufficiat itaq; finalis, aperta & cõfidentissima responsio. Iam tot legationibus, declarationibus, atq; transactionibus satis demonstratum fuisse, Prussiam prouinciam hæreditariam, & Ducem ipsius in fide, potestate, & protectione Regni ex antiquo esse, eam si quis oppugnare ac inuadere, vel quouis modo Principem vexare audeat, sciat non cum solo Principe Prussiæ illi negocium, sed & cum Regno Poloniæ futurum, neq; defuturum suo vasallo Principi, & Regum suorum ac omnium ferè principũ Germaniæ consanguineo, vt huius solius necessitudinis ac affinitatis causa, facilè si velint se continere possint à sanguinis Christiani profusione, armaq; potius & exercitum contra Turcum, communem omnium Christianorum hostem moueant. Neq; nos inuitos & nolentes, armati non inermes, prompti ad inuadendũ non ignauos neq; impigros ad propulsandas iniurias, omni deniq; iure nostro & æquitate nixos (quod maximum reputamus) ad hanc bellandi secum necessitatem & dubiam aleam tantopere adduci patiantur & attrahant. Nam alienum est hoc profectò & longissimè dissidens à natura & ingenio nostro, arma contra Christianos sumere, tam maxime abhorrent manus nostræ, ab hoc opere diro, nefando & indignissimo, sanguinis Christiani profusione, vt nisi iustissima prouocati & impulsi iniuria in hoc iniquum certamen descendemus, in Deum semper plenam collocantes fiduciam, vt qui olim multis vicibus maioribus nostris sepius iustam victoriam de omnibus aduersarijs concesserat, dabit quoq; nobis pro sua benignitate vires & animum, ne nos quorum vis minas pertimuisse videamur. Omni enim à natura inditum animanti esse ac gentibus more & necessitate præscriptũ, vt quacunq; ope possint, semper vim propulsent, suaq; tueantur ac defendant.

De Fœderibus obseruandis.

NOn solum Christianorum Principum leges, sed & Gentium iura ac vetera exempla nos abundè admonent, fœdera iureiurando sancita sanctissimè esse colenda, fidemq; etiam hosti datam seruandam. Nam non solum magnos Reges neglectæ fidei iusiurandiq; grauissimas semper pœnas dedisse, sed etiam malis consultoribus dissoluendi fœderis malè cessisse, cum multa perhibeant annalium munimenta, Tum Crassi contra Parthos belligerantis casus docuit, bellum contra fœdus esse nefandum, ac Vngarorum & nostri Vladislai Regis

slai Regis ad Varnam vna cum purpurato Cardinale autore huius perfidiæ interempti infœlix occasus, Italis, Germanis, magna verbis præsidia promittentibus (sicut & Constantinopolitanis & Rhodianis) re autē nihil representantibus conferentibusq;. Sed quasi pertransennam mala nostra intuentibus, & vix infortunio illo non gestientibus, cum ad Regna illa aspirarent ex antiquo Germani, & sibi per olim filios Regum nostrorum quasi erepta fuisse ægreferent, vt mirum non sit, si per omnem occasionem, omnibus periculis & incommodis nostris parum mouerentur, quo nobis bello implicatis, vel liberius mercarentur, vel fractis & debilitatis nobis, loco præsidij præstandi, Prussiam inuadere conarentur, sicut pluribus vicibus id tentasse conuinci facile possunt. Dum toties Moschos contra nos excitauerint & inflammauerint, omniq; apparatu iuuerint. Valachos quotiens submittere Imperio studuerunt. Augustæ in Comicijs Imperij, quotiens Imperatores inuitos sollicitauerint, ad inuadendam & oppugnandam Prussiam etiam ipsi Patres venerandi sacrorum Principes, pacem sanctam inter sacra annunctiantes, suasionibus suis palam concitabant. Liuoniam à nobis possessam & subiectam, vix ęquis aspiciunt oculis. Sic & Lituaniam olim à Regno abalienare tentauerunt, procurando Vitholdo Duci Coronam, cōatibus eorum aduersante fortuna, adeò inueteratum in nos odium & inimicicias perpetuas istæ gentes & habent & gerunt nobiscum. Si quis autem tantarum causam inimiciciarum velit perscrutari exactius, non aliam fuisse coniecturam & rationē, quam Austriaci ad Regnū nostrum iam vocati ac postea reiecti & expulsi contēptum & contūeliosum despectum, ob

spectum, ob non concessam illi iam desponsatam filiam Ludouici Regis nostri. Ac sub Ladislao Vngarię infante, Vladislai nostri Iagielonidis ad Varnā interēpti ad Regnū illud inaugurationem, ex scriptis ęneę Syluij, tunc Friderici Cæsaris Secretarij, postea vero ad Papatum euecti, ac Epistola illius ad Cardinalem Episcopum Cracouieñ Sbigneum Sienenscium de familia Dembno facilè deprehender. Cuius Vladislai nefandus casus, quam illos propterea non commouit, ex eodem autore facile perspicere licet. Taceo Vladislai alterius Kazimiridis nostri, non gratam illis iterum in Regna Vngariæ & Boemiæ successionem, an iusto affici aut commoueri non debuerunt Austriaci? indignitate hac & priuatione tantorum Regnorū & connubio sibi irrogata? Sed maioribus nostris tanta fuit audacia & virtus vt nullius terrore, nulliusq; minis deterriti libere conferebant & accipiebant pro suo arbitrio Regna, vt idem autor ob id nostris infensus testatur & expostulare videtur scriptis suis. Quod odium inueteratum, iam tandem sublatum & penitus sopitum esse debuit & fuit Viennæ in solenni illo Regum Conuentu, satisfactumq; illis fuisse iam videbatur, concessa illi ex stirpe Regum nostrorum prædicti Vladislai filia in matrimonium. Cuius nomine expetita diu illa Regna obtinent, atq; vtinam integrè & diu obtinuissent. Sed ad institutum reuertar. Etsi aūt hostibus nostris Machometanis præsertim, nihil est credēdum, cum illi ex institutis legum suarum, omnia pacta vtilitate sua mætiantur. Tamen nobis Christianis constantissimè retinenda, neq; leui ex causa violanda, quod ea sanctissimo & religiosissimo vinculo firmata esse scimus, ad omnes nihilominus fortiter excipiendos & pro

dos & pro

dos & propulsandos semper expediti, semper parati & promptissimi existentes, ad omnes Regni partes defendendas, ne nos imparatos ac inermes præueniat hostis, cum id officium nostrum sit proprium, pro tantis quibus à Republica nostra beneficijs sumus affecti, ac pro Regum liberalitate, honoribus, & plurimis maximisque libertatibus ac diuicijs quibus abundamus, si in discrimen ventum fuerit, non solum equo, framæa, atque hasta, omnique apparatu pro facultate inseruire maxima, sed etiam pro salutæ patriæ, Regis, pro religione, pro libertate, ac liberis nostris. Quæuis aduersa constanter adire & amanter proferre, vitam denique ipsam necessitate ingruente libenter obijcere, periculis & mortem pulcherrimam oppetere atque commutare, hoc potissimum tempore, quo maioribus nunc quam antea periculis & naufragio Regnum nostrum expositum esse videmus, neminem conspiratum, neminem confœderatum nobiscum habentes, nullum belli socium externum, nullum amicum & participem, nisi ipsi nos opponamus fortiter & viribus nostris infidelium impetus à finibus suis arceamus propulsemusque.
Atque his tantisque occupati & distenti bellis, iamque magna ex parte attriti, nedum auxilia impendere externis Christianorum Principibus possumus, in tanta opportunitate, & peraspera communis hostis potentissimi clade, qua à Christianis hoc proximo tempore, cum ingenti omnium solamine & summa lęticia affectus esse dicitur. Sed nobis potius externorum Principum præsidia ipsis implorare oportet, quale olim Rhodianis & alijs Reipublicæ Christianæ propugnaculis dari fuit solitum, (Quandoquidem & prouinciæ Regni nostri non minore periculo & naufragio semper sunt expositæ) ad sustinendam tantam molem sæuissimorum inimicorum ceruicibus nostris quottidie imminentium, qui in tantum numerum supra modum multiplicati sunt, veluti Hydræ capita, quæ quanto sepius amputantur, tanto plura succrescant & augentur.
Nam & Iulij secundi Papæ, & Cæsaris Caroli tempore, cum expedicio generalis aduersus immanissimos Christi nominis hostes Turcos, omnium Christianorum Principum consilijs & viribus fuisset instituta.
Non puduit Sigismundum inuictissimum Regem nostrum, tempore expeditionis illius, summum Pontificem cum Cæsare interpellare, & subsidium & consilium per Oratorem suum Raphaelem Liescinski implorare, qualiter periculum tantumque belli pondus sustineri à sua Maiestate potuisset, ne fractis Regni sui viribus in penitiores Christianorum partes dilabatur.
Sufficiat Christianis Principibus, ea fides nostra, vigilantia, ac promptitudo sumptusque nostri anniuersarij numerosi, totiens in supplementum huius oneris tributa grauiora conferendo impensi, vt hac opera nostra se contineat intra fines suos hostis, neque ad intima illorum hactenus penetrare permissus. Quid si irritatus fuisset hostis fractione fœderum? Quid non audacius tentaret? quas copias ex suorum populorum colluuiæ non moueret?

Sed tamen consultissimum foret, in hoc Christianorum ex prosperitate fortunæ successu, & aduersarij ex clade accepta consternatione, vt Regia Maiestas sumpta occasione, quibus tandem modo possit propositis ratiõibus, pactis & conditionibus restitutam velit sibi Valachiã, à Turcarũ Cæsare vti propriam & olim à maioribus suis possessam, propter meliorem quasi VALACHIA.

vicinita

vicinitatem & pacem cum eo perpetuo obseruandam & confirmandam, quam Valachi facile violare & in contentionem vocare possunt, totiens mutationes præfectorum faciendo. Quod non tam facile facerent, vbi Regno iuratus Palatinus illis esset præfectus in Capitaneum, vt illam prouinciam veluti obicem & antemurale intermediam habeamus & subsidium loco inimicorum. Sic & Rei Christianæ succurremus plurimũ, vbi vires aduersariorum restitutione Valachorũ diminutæ, nobis vero accessione eorum adauctæ fuissent, neq; in Germaniam volitarent, (nisi fortasse Prussiæ cominentur) & Turcarum Cæsarem non haberemus offensum.

De Moneta.

QVoniã autem pecunia neruus est belli, sine qua nihil magnum in quauis Republica geri potest, neq; milites mercede conducti retineri, neq; alia necessaria in vita communi parari possunt, ad defensionisq; partem pertineat. Ideo esset latissimus & hic conquerendi campus de corrupta Moneta, præter Comiciorum consensum, in maximum Reipublicæ damnum & detrimentum excussa, à qua vix totus non abhorret mũdus, solumq; intra parietes nostros valeat, in finitima vero regione ne vnũ argenteum pro ea permutare possis, ne dum quid pro necessitate sua cõparare, multo minus ea possit, aliarum multarum monetarum falsitatem ex Regno exturbare. Leges vero nostræ satis declarant, qualis in Regno Moneta excudi debeat, nimirum vt sit perpetua & bona in valore & pondere, vt per hoc cæteris sit acceptior. Ac quia iuxta constitutionem Anni 1510. tenetur sua Maiestas prouidere, vt æqua-

dere, vt æqualis moneta in Lithuania & Polonia reciperetur, qualis autem illa æqualitas esse debeat monetæ vtriusq; dominij, nisi illa legibus præscripta in valore & pondere? Nam ex æris metallo quid valebit? tantum ac vnum Koczoth, ne ad chaldearia quidem reparanda profutura, sed ab ærugine breui peritura, ideo & nec perpetua futura. Argenti autem non tam ad mixturam, quàm ad dealbãdum, quantum insumitur & operæ? facilè iudicari possit, quasi desint rationes & facultates nostris Principibus congerendi auri & argenti copiam, vt puram monetam, si non Christianarum Rerumpublicarum exemplo, Barbarorum more etiam minutissima habeamus, vel talem qualis olim fuit trium & quindecem grossorum, vt neruus ille belli augeatur, & Respublica nobiscũ ditescat, externa vero peccunia falsa, hoc pacto explodatur. Neq; enim mirum videri debet, si Aureos & Argenteos puros, pro suo quisq; æstimat iudicio, facta metalli comparatione. Et quamuis iuxta Anni 1550. sancita, ad nullam aliam etiam dominiorum suæ Maiestatis recipiendam Monetam cogi debemus. Nihilominus contra tot ædicta & pollicita Regum, apud nos inualuisse multifariam monetam vtriusq; dominij, valoris propè nullius, vt eius æstimatione, aliam quoq; æquiualẽtem externam ad nos facile induci patiamur. Taceo nouissimè apud nos excussam, qua multis affecti sumus damnis, dum quinq; receptam grossis, quaternis duntaxat expendere sumus coacti, in floreno vno sex grossos ammitendo, Argenteos Taleros pręmitto taxatos, & iacturam inde susceptam, ob tardiorem æstimationem. Principijs enim obstandum fuit, antequam tanta illorum inualuisset copia. An non

 præstat,

præstat, parum potius bonæ, quam pessimæ plus habere peccuniæ? & paucioribus probatis nummis multo magis, quam pluribus deprauatis minus emere? Si quem hoc pacto diuitem reddere volumus, cogitemus, malas esse diuitias, nec durabiles, cum multorum iniuria quæsitas, Sordidumque Aurum cum lachrimis.

De Ciuitatibus.

QVoniam omnes Ciuitates plurimum constant, ex Mercatoribus, Mæchanicis opificibus, propinatoribus seu cauponibus, ex quibus non priuata solum vtilitas illarum possessoribus solet prouenire, sed necessitate cogente, publica tributa ex domorum possionibus conferre, & milites expedire illos oporteat, vectigaliaque à negociantibus non modica fisco publico inferuntur. Ideo & rebus vrbanis maximè prouidendum esse censeo, vt ciues facilius se sustentare possint, & oneribus tantis perferendis commodius suffice re valeant. Nam quantis afficiantur extra Regnum iniurijs & damnis Mercatores, per prædones, spoliatores, pignorationes, reppressalia, captiuationes, vectigalia acforalia inusitata, & expilationes in hospicijs, sed etiam de manifestis deprædatoribus, creditoribus, fide publica & saluo conductu literisque ferreis suorum principum munitis existentibus, ac quod non minorem illis calamitatem & iacturam adferre videtur. Quia propter conspirationes externorum, multo minori nonnunquam præcio, quam hic emptas habuere merces, hoc est, illorum omni arbitrio distrahere coguntur, exhausti sumptibus existentes, Opifices vero Mæchanici, operarij & propinatores, quomodo se sustentare possunt? Cum nos in omnibus villis nostris,

pro libertate

pro libertate nostra, tam multos quoque habeamus Artifices, liquorum braxatores, tabernas, caupones, vt Ciuitates ac oppida, non mirum, si ad tam manifestam inopiam redigantur & recidant, vt nunquam emergere possint. Præstaret itaque ad commoda illorum promouenda & stabilienda, vt potius externi Mercatores, ad oppida nostra mercatum commearent, & à nostris sine impedimento, quæuis necessaria emerent, operaque ac impensa sua euneherent. Hoc pacto negociatoribus, opificibus, operarijs & priuatorũ domorum possessoribus, propinatoribus reuenditoribusque plurimum fuisset consultum, vt opulentiores essent, & in maius excrescerent, dum currus, vehicula rotas ferramenta, & alia suæ artis & laboris instrumenta, opificia, Mercatores, cauponarij, reuenditoresque venundare possent. Diuersoria autem reliqua necessaria ad victum pertinẽtia & pabula equorum subministrarent, esset prouentus Ciuium vberrimus, à domicilijs, hospicijs, testudinibus, depositorijs, & receptaculis mercium, plures diuites extranei negociatores, prout olim fuit, dum ea seruarentur, vltro ad nos commearent, vel suos factores ad comparandas merces destinarent, domos præstantiores edificarent, vectigalia non nostri sed extranei peccunia sua soluerent, non falsa sed pura & laudanda moneta. Vnde Auri & argenti esset magna & inuecta & relicta tam in oppidis Regni nostri copia, quam apud nos, pro rebus nostris domesticis, quas Ciues viciniores præcio iusto libenter nobis persoluerent, vbi opportunitatem quoque haberent ea venalia alijs communicandi reuendendique.

De Iusticiæ Administratione.

Restat, vt

Restat, vt de Iusticia administranda (secunda orationis nostræ parte) non nihil edisseramus, sine qua nulla communis societas, nulla coniunctio retineri inter mortales potest, nisi ab inurijs, violentijs, damnis, oppresionibus fuisset secura, legibusque vindicibus innocentiæ quasi communita. Si enim in omni pietate & probitate, cæterisque virtutibus natura & legibus præscriptis, vitam homines instituerent, nihilque plus quàm se deceat & oporteat appeterent, ab omni prorsus maleficio, alienarumque rerum vsu abstinerent, iniurias, contumelias, verbera, cædes denique ipsas nemini inferent, sed sua re contenti, nihil turpe aut iniquũ, nihil contra communem societatem, nihil contra dignitatem ac honestatẽ facerent, sed acius ac pacifice sine internis discordijs & controuersia degerent. Quid opus esset Iudicijs, vel tam multis ædictis aut vetitis? si nemo oppressus, nemo offensus, nemo verberatus, nemo cæsus, vel iniuria pulsatus fuisset? Sed quia in hac temporis iniquitate, malicia nostra in tantam excreuit licentiam & audaciam, vt excusso Dei mætu & reuerẽtia, sine pudore plures sola ducti cæca cupiditate & affectu nimio, ad omnia turpia & inhõesta vicia, contra fas & honestum p̃cipites rapiũtur, nulloque adhibito delectu ad omnem impuritatem & flagicia, ad violentias, fraudes dilabuntur, aliena sibi vsurpando & arrogando. Expedit communi omnium vtilitati, tantam licentiam legum & Magistratus seueritate, foro, ac Iudicijs cohibere ac cohercere sontes puniendo, innocentes ab iniuria defendendo, vt in pace ac libertate perfecta sua quisque tenere, ablata vero repetere & recupare posset, iusticia mediante, & vnicuique ex ęquo suum attribuente. Ob cuius Iusticiæ intermisionem & abiectam administrationẽ, hæc omnia mala inuecta esse, nemo

esse, nemo sanæ mentis non videt, vt iam vi potius ac cædibus quàm iudicio legittimo suas quisque mauult persequi iniurias, impunitate sibi promissa, quo facto, quam multi hoc temporis curriculo bonis exuti, quã multi nefariè & crudeliter interfecti, & ad extremam inopiam redacti, cum ea perspicua sunt, mihi refferre non opus multis. Et tanto magis vt grassentur liberius in bonorum perniciem, aliena detineant rapta, nemini de se respondeant quærenti: per annos sex continuos Iudicia terrestria in nostra Prouincia Syradiensi sublata, impedita, & multociens armis disturbata sunt, eo prætextu prætenso, quod Maiestas Regia, appellationis causas in conuentionibus Regni nunquam finiat, vel raro etiam iudicet. Absurdum itaque & superuacaneum videtur illis esse, alias lites tantisper Iudicio terresti persequi ac definire, donec causæ pendẽtes ac in conuentionibus indecisæ prius dijudicentur, ne frustra nouas causas adferre, antiquis nondum sopitis, & moram in Comicijs in cassum trahere, manticam de collo dependentem cum literis defferre, limina procuratorum & patronorum quottidiè terrere oporteat & alia mille subire, quibus plerumque afficiuntur illi, qui Iusticiam querunt in Conuentione generali. Satiusque ducunt, vtcunque domi conflictari & periclitari, iniurias perpeti, quam pro Cõuentione frustra appellationibus dies sibi ex Iudicijs terrestribus asignare, & omnia magno parta labore, annuosque omnes prouentus, patrimonij opes, ac rem ferè omnem familiarem in præsidium patriæ potius debitum conuertendam, in terminis terrestribus & in Comicijs absumere, dilsipare, exhaurireque. Atque vt id exemplo probemus vsitato, an parui videntur sumptus, si quis depe-

 culator,

culator, centum cittationibus alicui actionem citra su
am iniuriam temerè intentet. Ac propterea reus, vti
innocens absolutus liber fuerit, à singulis nihilominus
cittationibus primum memoriale, demum actore ap/
pellante, à controuersiis acticandis, tandem descri/
pta appellationis & totius controuersiæ persoluere co
getur miser cittatus, salarijs procuratorum exceptis
(ob defensionem & controuersiarum commentum)
& in comicijs iterum repetitis ijsdem centenis impen/
sis. Etiam in terris Sandomiriæ, à literarum subscri/
ptionibus notarius nouum vectigal commentus, pri/
uato iudicio suo exigere cepit, quis se accusatorem cō/
stituet propter vnum aut alterum malè extortum
grossum? Cū videt maiora inulta permanere facinora?
vt multi his incommodis deterriti, & magnum nau/
fragium in rebus suis passi sunt, & in vniuersum ab
accusatione & pænis ab iniurioso repetendis desistere
sunt coacti, ad Iudicia terrestria animum applicare
nolentes.

Plausibilem quidem prætextum negare non possu/
mus, sed optimè constituta Iudicia, non propterea pri/
uata autoritate deserenda sunt, aut disturbanda, pro/
pter alterius Iudicij imperfectam vel deprauatam aut
neglectam partem, potius hæc non obmittenda illa
corrigenda fuere. (Neq; facienda sunt mala, vt eueni/
ant bona, inquit ille.) Nam multæ actiones Iudicijs
forensibus sistuntur, & concordia mætu pænarum ac
plurium impensarum componuntur, neq; ad vim aut
scęlera, non ad cædes, sed ad Iuris & Iudiciorum præ/
sidia omnibus ingenuis est confugiendum, Iudicioq;
potius disceptandum, quam armis confligendum. Ne
ordinationi diuinæ ac maiorum institutis repugnare,
authorita/

authoritatemq; ac consilium neglexisse videamur, quo
rum opera, à Kazimiri inde magni tempore, vsq; ad
hunc diem per ducentos plusquam annos, summa pa/
trum auorumq; & nostra etiam contentione, hanc Iu/
diciorum terrestrium sanctitatem, vix emendatam
& correctam obtinemus. Hanc nos propter appellatio
nes in Comicijs non definitas euertemus? atq; propha/
nari sinemus? Cur modum potius non quærimus litiū
extra Conuentionem dirimendarum & appellationū
amputandarum, quem cur tantopere detestamur ac
fugimus? Cur mætuimus omnes? cur nemini suas cau
sas committere audemus? non video, præsertim cum
ob diuersitatem negociorum Comicia impedientium,
in tanta temporis angustia, tanta perplexitas actionū
inibi absolui non possit, neq; Regia Maiestas, iuxta
statutum, duobus in septimana diebus causas ad Con
uentum Regni deuolutas quarta & sexta scilicet feria
iudicando & cognoscendo, sufficere iam potest tot de/
finiendis causis, tanta prouinciarum etiam accessione
ad Regnum facta, & litium Controuersiarumq; ad tā/
tum fastidium & multitudinem adauctarum, magis
etiam sola iurgandi libidine & circumueniendi vel ve
xandi nonnunquam & damnificādi aduersarij, quam
tutādi iuris sui gratia introductarum, an paruam acti/
onum quantitatem futuram putamus? Si ex singulis
Capitaneorum Iudicijs in sex hebdomadis celebrari
solitis, vna vel bina duntaxat actiones appellationis
nomine ad Conuentionem Regni deuolutæ fuerint?
Quot autem sunt in Regno Capitaneatus? quam mul
ti prouinciarum districtus? quisq; expendere potest
& computare actionum numerum, quasi nos illi si/
mus, qui concessa nobis facultate, vna cum amplissi/

mi Sena/

mi Senatus consilio, rebus nostris melius consulere ne queamus? & Iudiciorum non inutilem statum inueni re, & propè domicilia nostra in prouincijs suis iusticiam potius certam, quam incertam per singulas conuentiones, cum dispendio rerum nostrarum & valetudinis discrimine emendicare, nec tamen cum impensarum curarumque maximarum molestijs eam inuestigare nec assequi. Quæ grauamina ipse vidi Varsouiæ seruitutis plena, ac vt è multis vnum adferram, vidi inque Nobilem quendam ad Comicia descendisse, causa experiundi iure cum aduersario suo, satis diu quesiisse nec inuenisse diuersorium, in quācunque enim diuerteret domum, lectis satis superque titulis, pro Regni Senatoribus, ac eorū satellicio, pro oratoribusque externis & legatis terrestribus ac aulicis, foribus inscriptis, holodia autem promptuaria & stabula, pro eorum equis & currubus, more patrio ex officio Marschalci deputata & distributa omnia hospicia repperit, pro tot autem controuertentium ne vnam domum aut Caruaseram, ad tantam frequentiam populorum inuenire potuit. Quare non tantum ab ædibus & hospicij iure prohibitus vbique & foco. Sed de stabulis, sub quorum præsepijs lassatus declinare volebat, ab agazonibus fustibus primum fugatus, conuicijs insectatus, & multis probris maledictisque vexatus, postremo tāque suspectus exclusus cum ignominia, coactus est cum literis suis, à collo dependentibus, ante ianuam muratę domus, nullis coctis pastus cibarijs, sed arido victu, triobulari duntaxat pane triticeo, ducere noctem intempestam donec superueniens fur, eam cum literis crumenam, pecuniam existimans, dormienti abscidit. Tales sunt litigantium deliciæ & voluptates, quas ex illa, si dijs placet, Comiciorum peregrinatione capere & referre solet Nobilitas nostra, illa potissima Regni porcio, vt non inueniat quo caput suum declinet, verum etiam quæ tantopere prætendat libertatem, more seruorum & nebulonum sic turpissimè traducatur, & extenuatur de Comicijs in Comicia veluti dedita opera extrahitur, vt profundat sua omnia, & tantis tandem affecta in commodis, neque sibi, neque patriæ, neque liberis suis profutura, & militaribus officijs inepta existens in popularem & plebeam conditionem transeat, vt verissimum illud iactatum sit prouerbium. Litis Comitem esse miseriam. Non omnibus enim sumptus annui sufficiunt, & census suppetunt tanti, vt in Comicijs, in tanta caritate annone, & rerum omnium inopia & difficultate, perseuerare possint per totas Conuentiones expectando Iudicia. Et proinde multos hac compulsos egestate & angustijs pressos, ignarosque negociorum actitium vidimus iustissimas suas deseruisse causas, & potentioribus de lite cesisse, Deo iustissimo Iudici vindictam vlciscendam permisisse, defatigatos & ære alieno obstrictos, cum execratione & mala imprecatione exacerbatosque domum redijsse, non reportata neque obtenta Iusticia, an Deum iustissimum vindicem putamus non vlturum nostras iniusticias, & tantas afflictiones populi sui & maledicta? Qui non tantum transfert Regna propter Iniusticiā, sed etiam seueritate gehennæ & flammis vlciscitur oppresiones pauperum & pupillorum orphanorum. Quorum omnium malorum (si vera fateri licet) nos quoque magna ex parte sumus autores, ipsi nobis in culpa sumus Equites, cum obedientiam legibus non præstamus, neque ita viuimus, prout nos in libera & benè constituta Repu-

ta Republica viuere oporteat, sed vicia in ea, vt morbos in corpore grassari permittimus, necq cito & mature tantis malis succurrimus, necq vel consilia capimus, quibus tanta calamitas, & summa nostra seruitus excutiatur, præsertim cum id in manibus nostris quasi situm esse videatur, Regia Maiestate in omne bonũ nostrum promouendum propensa vbicq existente, necq repugnante aut aduersante, quominus rationes inueniantur & constituantur iudicia expediundarum & extinguendarum omnium controuersiarum extra Regni Conuentum in prouincijs nostris.

Circumspicite enim & cogitate per Deum Immortalem, in quod discrimen perueniet Respublica si in ea Iudicia negligantur, si armis potius de re qualibet decertandum & confligendum veniet, si sceleratissimis ob impunitatem in fortunas vniuscuiuscq inuolãdi & in vitã liberè sæuiendi ianua quasi aperiatur, si inter suum & alienũ nullũ erit discrimen, si nulli certo ac integrè parta sua retinere, nẽini in pace, sed in cõtinuo metu & oppresione perpetua viuere licebit? Sed quis non mætuat, inter tam multos viuens siccarios & homicidas? Qui multitudine seruorum coacta & armis instructa septi ac stipati, sola impunitatis spe, liberè sine mætu grassantur, & interficiunt homines veluti peccora, fortunas diripiunt, Iudicia perturbant, & nisi quamprimum frangatur & extermínetur, vel quasi constricta legum Iudicijs comprimatur eorum audacia, breui proculdubio redundatura ad seditiones intestinas & domesticas maximas & crudeles, ad interitum vscq & publicam Reipublicæ perniciem. Necq enim ob causam aliam à Maioribus nostris inuenta esse Iudicia refferuntur (etiam à diuino illo eloquentiæ parente Cicerone) quam vt perditissimos & sceleratissimos hõines pænit⁹ extirpemus, vt quos Dei mæt⁹ non mouet, necq ipsa deterret flagiciorum turpitudo, pęnæ ac supplicij terror in officio contineret (vnius enim pæna multorum est mætus) ac proinde Iudicia mala consuetudine sublata vel disoluta, cum summo consensu vestro & Senatus Iudicio grauissimo & maximo tanto maturius constituite, & vna voce libentissimis animis approbate, quanto res omnes in deterius ferè ad interitum hac tempestate prolabi videmus, Necq patiamini præcor, aliquam in ea Republica pestem atcq improbitatem diutius morari, quam tot trophæis, tot victorijs, tot virtutum ornamentis maiores nostri decoratam atcq auctam reliquerunt nobis, nam quouscq sinemus tam manifestam immanitatem atcq libidinem non ferendam perditorum hominum inter nos versari? Quam diu isti necq, facinorosi, prædatores, direptores & homicidæ, liberum sibi putabunt, in vitam nostram, in fortunas, in dignitatem debacchari? Et adhuc contra hæc seminaria pessima vos Iudicia lõgo intermissa interuallo non instaurabitis? leges vestras in lucem, veluti copias præclaras vestracq præsidia & ornamenta exercitus in aciem, non producetis? Ac Iudices tancq Imperatores petulantiæ eorum, fraudibus & iniquitati non opponetis? victis denicq iudicio & obnoxijs plagas non addetis? & pænas non inferretis necq multiplicabitis? (crescente enim malicia, crescere debet & pæna, & itera ta delicta magis puniuntur, iuxta vulgatas Iuris Consultorum Regulas. Quod si nos delectat ea antiqua à Maioribus tradita, Comicialium iudiciorum consuetudo, iudicio & commẽdatione vetustatis comprobata, vt Regia Maiestas tot pro-

tis tot prouocationes deffiniat, vt propterea nullam nouam optandam expetendamq; iudiciorum formam non admittamus, solennes & nos ac religiosos mores obseruemus, tantumque quantum maiores olim nostri iudicio disceptemus, cogitemus plures esse, quibus res familiaris adeò angusta est, vt ad prosequendas in Comicijs lites, nulla suppetat facultas. Sed cur potius ad certos delectos peritos ac prundentes iustissimosq; Iudices bonos viros tantam controuersiarum dirimendarum molem non deferrimus? Quorum fides, probitasq; spectata cum ingenij dexteritate & in excutiendis causis, exercitatio ac vsus omnium iudicio probata & testata fuisset. Nam Comicia habent sua negocia, pro temporis ratione, & varietate casuum ac necessitatum Reipublicæ incidentia, & in consultationem cadentia, de quibus liberè Regiam Maiestatem cum Senatu consultare & decernere publica cum autoritate oporteat. An non sufficiet illi cognitio de crimine capitali & grauioribus causis? nō litigantium arbitrio, sed per ordinarios illos Iudices ad decidendum deferendis, quociens casus noui & causæ essent dubiæ vel leges ancipites, vt ille vox legis & sanctissimus interpres explanatorq; incorruptus (veluti oraculum) existat, publicisq; tractandis operam eo impensius conferat, tanta causarū multitudine exoneratus, alias autem omnes ciuiles causas & actiones, in fide ac religione deputandorū Iudicum esse deponēdas, naturali æquitate Iurisq; præscripto sopiendas, vel primarum, si nō omniū prouinciarum Regni Iudicibus, religionis vinculo obligatis esse permittendas, qui in medio palatinatuum quotannis more colloquiorum præsideant, & omnium iniuriarum capitis & famæ

& famæ actionibus exceptis essent Iudices, vel certis Senatoribus ex quauis Conuentione deputandis & deligendis Piotrcouiamq; Conuentionis authoritate destinandis, in locum ob multas curias & hospicia satis aptum, aut terrarum dignitarijs salario & prouentu competenti ex æquo prouisis, ita vt si fieri posit, nullum deinceps solueret Memoriale, vt ditioribus tenuiores euocandi, & ad sumptus non necessarios extrahendi amputetur occasio, plurium simul intentandi actionum, impostoribus vero calumniandi vexandi & criminationibus falsis circumueniendi, impensarumq; & litium terrore abradendi aliquid via esset interclusa. O fœlices nos tandem futuros, o fortunatosq; nimium Nobiles, ac tum demum verè liberos, vbi talia Iudicia fuissent instituta vel alia quæcunq; modo Iusticia reuocetur & pax regnaret in Polonia, sine vitæ & fortunarum nostrarum dispendio & discrimine, sine Comiciorum peregrinatione, & protractione quauis, quando nemini, quam post Deum immortalem, Reipublicæ nostræ, & Regi suo fuissemus deuoti deuincti & obligati ad inseruiendum, cum nunc in luctuoso isto tumultu & statu, alieno multorum imperio obsequi & ditiorib9 inseruire ad nutum cogimur, vt opera patrocinio & promotione sua nos & fortunas nostras, contra vim & iniurias tueantur & defendant, vel hospicia saltem, aut angulum angustum, penes se in Comicijs concedant. O rem præclaram & diem illustrem illum nobisq; iucundissimum. Quo tāta cura & mætu tantisq; molestijs fuissemus releuati & recreati, respiraret profecto patria nostra, & quasi hostibus è medio profligatis & depulsis, cum tripudijs ac incredibili gratulatione plausuq; excitato & reddito,

exultaret

exultaret summa cum lętitia & tropheo gaudioq; triumpharet ingenti expulsa & deturbata Iniusticia & iugo seruitutis acerbo, alijsq; vicijs communem nostram pacem veluti peste, inficientibus turbantibus ac disoluentibus. Redirent aurea secula, vbi cessarent odia, contentiones, discordiæ intestinæ, violentæ oppresiones, fraudes, compilationes, falsæ obsignationes, homicidia, & reliqua mille impuritatis & flagiciorum omnium genera & grauamina, desiderata aūt religio, pax, libertas, facultates, ac vita ipsa, à rapinis, à præda & interitu esset salua septa & munita, vbi deniq; sub vno principe communibus legibus ex æquo viueremus omnes, prospectum fuisset melius rebus & fortunis nostris, vbi tranquila & paccata fuissent omnia.

De Homicidiis & Pixidibus.

NIsi multorum prudentissimorum verbi diuini Ministrorum dictis ac disertorum oratorum scriptis tam publicè quàm priuatim satis superq; fuisset propositum & tractatum de Homicidijs plectendis, iuxta Dei & omnium gentium præscipta, (quid enim luculentius Fricij orationibus quaternis de hoc genere Homicidiorum exaratis?) & ipse quamuis ne mini comparandus, pro loco tantum & officio meo, in hoc celeberrimo cœtu, vulgiq; astante corona, eadem de re paucis perstringerem verbis, vt voluntaria Homicidia pęna Capitis punirentur, sed quia illorum grauissimorū virorum persuasiones adhibitæ, nullam vtilitatem audientibus attulisse videntur, ac vix non surdis & clausis auribus præteritas, quá negligentia & incuria effectum, vt multi etiam publicorum consiliorum principes, multarum rerum gloria clarissimi, & ex ordine isto Legatorum nonnulli virtute excellentes viri, à tractando eo argumento amplius supersedendum sibi duxerint, cum viderent labores suos & conatus etiam fuisse irritos, nec ego obstrepere frustra ociosis dictis necessarium puto. Quamuis cōmouear plurimum, cū videam nos illos, qui cæteris gentibus, nobilitate, natalium splendore libertatibusq; nostris, ac maximarum rerum gestarum gloria excellere volumus, tanto valore ac præcio computari, vt vilem & brutum equū quingentis & mille aureis, vestesq; & stragula, quib⁹ cooperimur multo præciosius, quam corpora sua ad imaginem Dei efficta, æstimemus & pensemus. Ideo nec mirum si ob leuissimas iniurias, ita se crudeliter conficiant passim sine numero multi, quanto leuiores propterea videt quisq; sibi propositas pœnas, iam non vt olim apertè decertando, sed fraudibus, & bombardarum ictibus impetendo facile vilis nebulo, præstantissimum quenq; Militem impunè conficere soleat, pluresq; iam hoc machinarum genere interfectos concidisse, in tam modico temporis spacio, quam olim ensibus vel bello per multa sæcula, clarè licet intueri. Nam vbi ad manus ventum fuerit, & gladijs vel viribus decertatur, nemo non facile dirimere & comprimere poterit pugnam & contentionem, semel vero emissam bombardam, quomodo cauere, aut impetum depellere vel obtundere, quo minus feriendo confestim interficiat hominem? Qua Machinamur pernicie, vt nihil promptius est ad interficiendum, ita nihil est iam magis vsitatum, quis enim locus? quis conuentus est aut conuiuium? quo multi sæpe non fuerint crudeliter interempti? adeò inualuit ea pestis feriendi, vt quod te-

terrimum eſt, in bonorum diuiſionibus, limitationi/
bus, ac ad iudicia legittima congreſſu, omnia ferè lo/
ca, bombardarum ſubito ſtrepitu fulgoris corruſcan/
tis in morem ſtrepere, ac horrido vaporis fætore æſtu
ari, magno omnium ſtupore videmus, ac cum pericu/
lo noſtro & timore globorum ex machinis magno im
petu excuſſorum multitudinem vbiq; volitari, ſubito
tumultu cuncta repleri, vt iuſta profecto eſſet cauſa, ſi
non in omnes Homicidas pœnam promulgare & pro
ferre Capitalem vel proſcriptionis, in illos ſaltim, qui
pixide, prohibito nimirum Statutis ad deferendum
genere armorum, occiderint nobilem, præſtito aſſen/
ſu decernere & approbare ſtatuatis, nam Capitali vel
infamiæ pœna propoſita, quis ſe non continebit?
Quis non potius iure & verbis, quam armis conten/
det? vel ſi ne hoc quidem præcibus noſtris digna po/
ſtulantibus obtinẽus, Statutum de non deferendis Pi/
xidibus extra belli neceſsitatem renouetur, & vt exe/
quatur Capitanei prouiderent. Nec iuſtam exiſtime
tis eſſe, quæ in defenſionem deferendarum pixidarum
adfertur ratio, ne peritia poſtea feriendi hoſtem inter/
cidat, an non poſſunt, ad certum potius deſtinatum
ſcopum, arboribus vel ſudibus loco hominum propo/
ſitum & præfixum ſpicula torquere & globos excute/
re, propoſitis etiam victori premijs? potiusq; hoc gene
re certaminis domi ſuæ, quam potationibus & inglu/
uie ſe oblectari, ſicut in Germania vidimus, talia paſ/
ſim exerceri certamina, omneſq; ex prætorum etiam
edicto plures bombardas habere, non tamen illas ex/
tra belli & certaminis ſeu exercicij præmiſsi neceſsita/
tem defferre, neq; ſe illis tam crudeliter conficere ac cõ
trucidare ſolere, quia omnibus homicidis propoſitam
pœnam ca/

pœnam capitis eſſe ſciunt. Et noſtri continerent ſe v/
tiq; Senatus conſulto promulgato, vt pixide interfici/
ens Nobilem quacunq; ex cauſa, excepto inuaſore do/
meſtico (cum domus tuta eſſe debet, quàm omni de/
fenſionis genere tueri vnicuiq; conuenit) cittatus ad
Iudicium Capitanei vbicunq; deprehenſus, ſupplicio
affectus confeſtim pœnas lueret. Hoc communi bono
& paci congruere plurimum arbitramur.

De Interregno.

ETſi autem rationes & conſilia pro tenuitate inge/
nij ſui oſtendimus, veluti præſentiſsima remedia,
quæ languentem ac fluctuantem, iamq; in præceps ru
entem Rempublicam ſaluti reddere poſſunt, & ſub/
leuare in extremo poſitam periculo, nullam tamen co
gitantibus adhuc nobis aliam tam neceſſariam contẽ/
plamur rationem tuendæ communis ſalutis, niſi & in
hoc vnum ſolum toti incumbamus. Vnde periculum
maius imminere nobis videmus, in quo ſtatum vni/
uerſum oẽs prudentes, quibus libertatis ac ſalutis ali/
qua ineſt cura, conſiſtere arbitrantur, in morte nimi/
rum (quæ procul abſit) Sereniſsimi Regis noſtri &
electione futuri. Nemo enim eſt ſanæ mentis, qui mor
tem ipſius magnarum noſtrarum calamitatum futu/
ram cauſam neget? Qui non intelligat ſua ſalute con/
tineri noſtram, ac ex vnius ſolius vita pendere omni/
um noſtram, vel vt expreſsius dicam, Principium &
finem omnium malorum noſtrorum (quod dij prohi/
beant) mortem Regis eſſe, ſi abſq; declarato & ambi/
guo decedat ſucceſſore, Quæ pericula & procellas im/
pendentes, mirum in modum, quam non circumſpi/
cimus, vel ſi præuidemus, cur anticipare & auertere
 illa immi/

illa imminentia pericula negligimus? Cur malorum futurorum consideratione non cōmouemur? Omnes conditionem afflictæ Reipublicæ detestamur, omnes saluam cupimus. Nemo est qui egrotantem subleuare, vel in melius corrigere, aut denique periclitanti, opem celeri quasi cursu afferre properaret? vniuersa cōsulto negligentibus atque prætereuntibus nobis. Nam quis animo suo considerare non potest, qualis ordo, quæ condicio Reipublicæ sub Interregno est futura? Nam qui indicendæ Electioni aut conuocandarum prouinciarum facultatem habeat expressam, definitum non habemus, vel an tempus superest Electioni? vbi ex omnibus Regni partibus finitimæ immanissimæ gentes primum Orientis plagam incolentes Turci horribili apparatu insurgentes, ac ferocissimi Scithæ copijs referti maximis, ad intima vsque percurrentes, & incendia funestissima ac vastationes populationesque horrendissimas, vna cum Valachis inferentes. Ab Aquilone deinde Moschi gens nobis infensa, magnis & longe amplioribus quam vnquam copijs aduersus Lithuaniam prodeuntes. Ab Occasu Germani, magno facto impetu Prussiam vel Regnum inuadentes. A Meridie Vngaricum suis præfectis magna vi & celeritate, in perniciē nostram oēs quasi conspirati accelerarent, & in medio quasi conclusos opprimerent. Nam omnia fœliciter olim iacta fœdera pacis, vnica ipsa morte fuissent dissoluta & finita, quibus autem prius resistendum foret hostibus? in quam potissimum igitur partem esset incumbendum? vel quis ad obsistendum & auertendū pericula primus tunc induet arma? ad quem omnes festinando ferantur & inclinarent, ad quem confluerēt, cuius imperio & autoritati cæteri obsequantur, ad cuius denique

ius denique mandata parati & expediti essent ad omnē belli impetum sustinendum durante Interregno? aut suscipienti patrocinium aut expeditionem bellicam, an obsequentes habebit omnes stabilesque & concordes? Quomodo bonum regimen, aut nouam constituet Electionem? in tanta animorum disparitate ac discrepantia non assentientibus multis, dissentientibus autem & diuersa sentientibus plerisque. Si enim inimiciciæ, contentiones & homicidia nullo timore nunc grassantur, licencia & omnis iniquitas abundat: Quid sperandum boni, fractis & solutis legibus, & capite, (proh dolor) pijssimi Regis concidente? quam subita rerum omnium esset mutatio confusio atque perturbatio? horret animus reminisci. Nam qualis nobis rerū apparatus benè nouimus, quibus loco armorum nunc splendidissimus vestium nitor, aurum filatum pecuniæ in luxum erogatæ non multis suppetunt, Tesaurus publicus nullus, quo stipendia militibus adimpleri & persolui possint, & commeatus summa inopia, deposita & intermissa diuturna pace bellicarum rerū disciplina, & studia rei militaris oblita sunt & obsoleta, vt vix tot è millibus vnum reperias, qui castra rectè ponere aut munire sciat, ad turpia potius omnes priuata lucra, & propriam vtilitatem conuersi confugimus, ambitione vana & fastu turgido æstuantes, inter delicias luxum & epularum apparatum, liberalē potationem atque circa ingluuiem versamur, alijsque in Rebus turpibus & inhonestis, rerum obliti omnium, nulla correpti verecundia aut pudore, sine Deorum Immortalium timore, contemptaque legum & magistratus authoritate, scelera sceleribus accumulando libere ac scientes in omne genus turpitudinis proruimus,

quæstus ac

quæstus ac lucri sordidi gratia diuiciarum causa, fa/
cultatum ac dignitatis. Neminem conspirantem no/
biscum, neminem fœdere coniunctum ex vicinis ha/
bemus, partes nostras confouentem, qui laborantibus
bello, mutuum nobis auxilium impendere velit, his
maximè temporibus dubijs & periculosis, plures ha/
bemus in perniciem nostram conspiratos, qui à fronte
& à tergo nobis instant, intentiq; apertis & diductis
faucibus expectant omnes occasiones implacabiles af/
futuri hostes, vt extremis nos inuolutos calamitatibus
& armis cladibusq; oppressos ad interitum postremo
funditus subuertant, conficiant & exterminent. Et
propterea prudentes olim ingentium terrarum domi/
ni & Monarchæ, veriti ne quid ipsorum occasu turba
rum Rempublicam infestare possit, prospicieñ fu/
turis periculis, successores sibi probatos deligebant,
scribebant & adoptabant, quod & nunc in omnibus
ferè Monarchijs benè constitutis obseruatur, vt desi/
gnatos habeant Monarchas quo huic malo & discordi/
is internis obuiam iretur, & communi vtilitati, ocio
& paci consuleretur. Quapropter accelerate quam pri
mum & vos Equites, nihil promptitudinis nihil studij
obmittentes, vt hac in conuentione modum, formam,
instituendi Regis, cum autoritate voluntate & assen/
su Regiæ Maiestatis, iudicio Senatorum grauissimo,
& communibus sententijs vestris præscribatis, ne hac
vtilissima parte neglecta, & vosmet ipsos, & nos libe/
rosq; nostros fortunasq; omnium, in extremum exiti/
um ac discrimen calamitatemq; ingentem adducatis.
Et Regni principatus nationum potentissimarum, &
prouinciæ in extremo positæ periculo, & defensione
destitutæ, in plurimas partes (quod Dij prohibeant
Immorta/

Immortales) scindantur, & à corpore suo sicut olim Slesia,
desperata salute, timore vel mætu impulsæ, & sedicioni/
bus discordijsq; intestinis disiectæ & collapsæ deficiant.
Ego hac in re quid sensero, postea non grauatim senten/
tiam quoque meam proferre non dubitabo.

De Electione Regis Libera.

MAgna hæc laus est, nec contemnenda libertas nostra
Equites, quibus neq; successionis iure, neq; hæredita
rio Rex declaratur & præficitur. Sed per liberam Electi/
onem, suffragijs Senatorum, & totius Nobilitatis volun/
tate & assensu, eligitur & cõstituit̃ in Comicijs Regni per
Senatores vacante Regno indicendis, ita vt Rege defun
cto ad nos tanq; hæredes, Regnum & Ius conferendi illi⁹
recidere & deuolui videatur, Electusq; & declaratus Rex
nouus, non nisi de manibus nostris, ad vitam duntaxat su/
am Regnum suscipiat. Cui nec prius parere aut obedire te
nemur, nisi inauguratus, Iura omnia nostra, ac omniũ Re
gnicolarum priuilegia, libertates, literas, immunitates iu
stas & legittimas omnino se ratas habiturum, seruaturum
defensurum & executurum, omniaq; iniquè ab eodẽ Re/
gno abalienata atq; distracta, pro viribus suis recuperatu
rum, & ad vnionem Regni agregaturum, nec imminutu/
rum. Sed aucturum potius, & quoad poterit prolaturum
esse iuramento obstringat & confirmet, ac literis suis idi/
psum testetur. Cuius indicendæ Electioni, quia omnibus
Senatoribus & non certis personis cõcessa sit facultas, p̃sta
retq; vnum, duos, vel tres eligere & hac prerogatiua insi/
gnire (segnius enim expediunt commissa negotia plures)
ad indicendam confestim Conuentionem, & conuocãdos
properè Senatores & Nobiles. Nisi consuetudinẽ & morẽ
antiquum pro lege potius obseruandum ducerẽ & appro

barem ma/

barem magis esse sequendũ (necq̃ enim autoritates maiorũ sunt reprobandæ, & consuetudo plerunque vincit legem, vt Iuris consulti docent.) Quam consuetudinem etiam declaratam fuisse per Serenissimum olim Regem Sigismundum, in Conuentu Regni generali Cracouieñ Anno 1530. his verbis planum est. Quotiescunque Regem decedere, & Regnum vacare, aut Electionẽ quomodocunq̃ celebrari cõtigerit, Dñi Consiliarij vtriusq̃ ordinis, antequã ad Electionem procedãt, prius iuxta veterem consuetudinem, Conuentũ Electionis generalẽ statuant, & illum vniuersis Regnicolis & dominijs, mẽbris & ordinibus Regni in tẽpore declarent, ac Electionẽ in eodẽ Conuentu celebrent.

Ac postea in Conuentione alia Piotrcouieñ, anno 1538. Senatus quoq̃ consultum, in hæc scriptum extat verba, vt si quid de Rege Poloniæ factum sit, eumq̃ ex vita decedere contigerit, secundum veterem morem consuetudinemq̃ & statuta Regni, Generalia Comicia edicantur, ad nouum eligendum Regem, fiatq̃ Electio Regis libera, ita vt ex omnium Regni, Senatorum Nobiliumq̃, quicunq̃ Comicia illa obierint, eisq̃ interfuerint consensu & voluntate nouus Rex eligatˀ & denunctietur. Ex qua declaratione tam dilucida manifestè apparet, oẽs Senatores habere vim & potestatem indicendæ ac intimandæ Electionis & conuocandæ Conuentionis, idq̃ deposita statim mora, modo supesset tẽpus in tanta finitimorũ, qua vndiq̃ circũfusi sumus hostium turba statuendi & approbandi Regẽ.

Quod si vero de personis certis ad Regnũ eligendis vel creandis, siue nunc siue postea decernere aliquãdo cõtigerit, Serenissimo nostro Principe (quẽ Deus diutissimè seruet nobis superstitem) ab humanis sine prole descendẽte, Maiorum nostrorum sapientissimorum virorum exẽpla, quæso, ante oculos proponite vobis. Quibus quãtum benedixit Deus, illorum acta & fęlices sepe successus probè testantur, qui in eiusmodi electionibus non tãtum accessiones ampliãdi Regni sui spectabant, sed ex infensissimis inimicis pro charitate Christiana, stabiles amicos, firmata eorũ beneuolentia sibi reddere valde cõsultissimum esse iudicabant, vel inde perspicere licet, quod Austriaco Principe obmisso iam penè ad Regnum vocato & ascito, quia nihil de suis prouincijs adijcere, necq̃ fines Regni prolatare poterat, sub iugo Imperij Germaniæ solus existens. Masouiæ ac Slesiæ etiã Principibus semper pretermisis, quos quieto iure ad Regnum iã pertinuisse nouerant, præpotẽtiorem absolutæ potestatis & prouinciarum suarum Dominum & Ducẽ Magnum Lithuaniæ prætulerint, delato illi Regno, ex hoste maximo, fidelem & firmissimũ defensorem, & ex Ducatu suo amplissimo ad ducenta miliaria Germanica protenso, propagatiõem Imperij sui fecerint, ex æthnico Duce, Christianum Regẽ, vna cum sua tota gẽte sacro tinctũ baptismate, ad fidei lumen perduxerint, ad suas deniq̃ libertates, depulsa seruitute, ad fraternitatis & consanguineitatis consortia & in Regni ipsum corpus vnionẽq̃ receperint. Quid prudentiˀ excogitari potuit? Quid vtilius, aut deniq̃ charitati Christianæ proximius? quã fidem Christianam, qua nihil magis salutiferũ, quam libertatẽ, qua nihil gloriosius ac præciosius? Quam ipsam deniq̃ patriam, qua nihil charius, nihil amabilius est, proximis suis fraternè communicare & impartiri? ex hostibˀ preterea acerbis, necessarios & amicos conciliando, & ad centũ, vel ad sexaginta millia Equitũ pro subsidio cõmuni ad omnem belli necessitatem & impetus sustinẽdos & viribus communibˀ ꝓpulsandos fidos habere socios comparatos? Quæ maiorum consilia vti salubria, dignum arbitramur, vt amplectamini, vt si diuino consilio ac decreto, Regnum

to, Regnum vacare quomodolibet contigerit, talem simi
liter queramus qui ad vires nostras augendas, de suo quã-
plurimum addere & adiungere possit, & loco acerbissimi
inimici validissim⁹ defensor & propugnator ac Monarcha
esset omniũ iudicio iudicatus, repetitaq; collati in se bene-
ficij memoria, affectum nostrum, obseruantiã, & propẽsi
onem, gratitudine sua, more aliorum Regum nostrorum
studeret compensare, Regno vtilis & proficuus plurimũ
existẽs. Qualẽ opulentissimũ Magnum Moschorũ Ducẽ
esse scimus, & vicinum habemus, dominatu, imperio, diui
ciarum copia, & magna equitum exercitu abundantem,
gloria belli excellẽtem, omni apparatu rerum splendidũ
atq; toto orbe fama illustrem, duos habẽtem filios, quorũ
iuniorẽ melioris esse institutionis & moribus suauioribus
præditum, robustoq; & valido corpore, quem vti mode-
ratiorem benigrnioremque à patre suo postulandum sua-
derem, certis conditionibus in hunc modum datis & acce-
ptis, vt restitutis inprimis, Smolensi, Plescouiensi & No-
uogrodensi Ducatibus, reliquas patrimonij sui opes & di
tiones, inter filios prędictos per medium diuideret, & illã
dimidiam partem natu minori filio assignatam, tandem
Regno incorporaret, cum altera vero medietate, filium
ętate prouectiorem (qui professus fertur esse Tyrrãnus)
subesse & parere Regno, tanq; fidum & constantem Feu-
darium & Ducem Regni, facto omagio, ad instar Ducis
Prussiæ, decerneret (ne interse tempore procendente
contendant vel dissideant) vt si stirpe virili deficiente de-
cederet, ad Regnum pars illa residua pleno iure deueni-
ret, & in omni aduersitate, pro maximis suis facultatibus
& viribus, quemadmodum olim Vitholdus Dux, Regnũ
iuuare, illi constanter assistere & adherere, societatemq;
perpetuam, fœdera inita, & fidem seruare esset obligatus

& obstrictus.

& obstrictus. Qui si viuente Serenissimo Rege nostro, ac
ipso concedente ac permittente ad Regnum receptus &
inauguratus fuisset, nullam potestatem, nullum imperiũ
aut iurisditionem haberet, quo ad viueret & concederet
alter, prout & modernus Princeps patre suo viuente fuit
coronatus, abstinuit tamẽ ab omni regimine. Interim ve
ro vtilibus & honestis in Regno enutritus præceptis insti
tutisq; & legibus patriæ imbueret̃ & lingua, filijs nostris
illi inseruientibus, & de virtute in virtutem crescentibus,
prouisionem constituendam in Castro aliquo Regni in
Russia præsertim habiturus, pro sustentatione sua, ve-
luti Regis filius, liberalitate quoq; paterna & gazis sufful
tus, & peccunijs adiutus, Plescouiẽsem, Smolẽsem, Nouo-
grodieñ ditionẽ p̃ p̃fectos Polõos Nobiles administraret,
& prouentus caperet annuos pro ęducatione sua, quę nul
li magis congruit, quam Principi. Cuius doctrinam & sa
pientiam decet omnibus prodesse subiectis. Nam Ierobo
am legitur decem amisisse Regna, quę suus sibi reliquerat
pater, per suam imprudentiam, & teste Philosopho, Im-
possibile est prudẽtem non esse bonum. Ideo Regẽ malè in
stitutum, verissimè Policrates dixit, Asinum Coronatũ.
Sed ad propositum redeo. Ex qua accessione Moschouiæ
tam amplissima, Regnum nostrum tanta potentia pote-
state & magnitudine fuisset adauctum, tanta amplitudi-
ne & ambitu dilatatum, quantum in orbe Regnum nullũ
tam latissimos habens terminos & fines. An Gręcia tam
multis adhuc abundans Christianis, ad hanc Monarchiã
& societatem inuita concederet? An Valachia Gręcã pro
fessa fidem, vltra Turcorum tyrranno tributa pendendo
seruiret? & aliæ eiusdem professionis prouinciæ plurimę.
An Turcis in Europa tantæ iam vires fuissent vindicandi
aut auferendi aliquam à se deficientem & nobis sponte pa

 rentem &

rentem & obsequentem nobiscumq; defensionem cōmu/
nem ferentem prouinciam? An Liuonia non fuisset paca
tior? An Tartarorum colluuio, expeditione militum ali/
quoties facta, non potuisset propelli? Quo enim Mosci, ni
si in hostes nostros vires suas & arma illa conuerterent?
quibus nobiscum hactenus fortiter dimicarunt, pari non/
nunq; & ambiguo euentu, nunc nobis nunc illis arridente
& aspirante fortuna, magna sepius multitudine hominū
inter se concisa, & ingenti cęde edita, plurimis captiuis ab
ductis? Quid si tantæ coniunctæ simul vires fuissent & cō
tractæ, in vnamq; societatem conspiratæ & coactæ tremē
dus credite Equites ac formidabilis hic esset Rex & ma/
gnanimus, omnem fortitudinem inimicorum Christi &
suorum, Deo adiuuante contriturus? An defuisset nobis
ad conducendum milites stipendium? Moschouia pecu/
nias suppeditante, & pro seruitute sua & debito expediti
onem bellicam sustinente (nam tributo obnoxia suis mo
ribus legibus & institutis degeret) ne postea libertatibus
insueta, deposita memoria beneficiorū, ingratam se no/
bis ostenderet. Desinunt eīm homines hominibꝰ beneface/
re, iuxta cōmune dictū, cum semel inciderint in ingratos.

Quod si hanc sententiam à me prolatam aduersamini,
nec parum vtilem, sed suspectam & dificiliorem esse ani/
maduertitis, Cæsaris Maximiliani filium de Regum no/
strorum sanctissimorum Poloniæ cretū sanguine, ad vos
in Regis filium, animis propensis, & vnanimi cum Regię
Maiestatis consensu, assumite, vt ab ineunte ætate, mori/
bus, ac legibus institutus nostris, cū dignitate & imperio
nobis pręesse possit, non alia conditione, quam restituta
& adiudicata nobis, & ad Regnum adiecta tota Slesia per
suum parentē, vel ea prouincia Cæsar pro sorte quasi pa/
terna filium contentare potest, vt dotis veluti nomine ha
beret, quod

beret, quod ad nos inferret. Et cum Boemis Cæsar certis
pactis de ea conueniret, nam ad Pyastum Crusuiciē difi
cilis via, his turbulentis temporibus, cum nec similis illi
inueniatur, nec ambicioni esset finis vllus, cuius causa te/
ste Philosopho ipso, plurimæ seditiones oriuntur, Reipu/
blicæ exiciosæ, de honoribus enim non quilibet, sed poten
tissimi quiq; contendunt, graueq;, Democritus dixit, re/
gi à deteriore. Neq; vos commoueant aut abducant, ad
hunc casum detorta illa sacra Deutoronomij verba, De
medio fratrum tuorum constitues tibi Regem, nec præ/
ficere tibi potes alienum, qui non est frater tuus &c. Iu/
dei enim neminem appellabant fratrem, à sua fide & reli
gione alienum, quos æthnicos potius, publicanos, & pec/
catores, & alienigenas cognominabant, cum quibus nec
conuersari licitum sibi fore arbitrabantur, multo minus
Regem creare aut præficere sibi poterant, nisi ex indige/
na, qui natione & religionis professiōe Iudeus fuisset. Et
mos est scripturæ sanctę peculiaris, eiusdem religionis ho
mines vocare fratres, quo sensu & Christus indubitatus
Seruator noster, sanctæ & intemeratæ virginis Mariæ, cū
vnicus esset filius, nec fratrem haberet, apud Ioannē Euā/
gelistam in septimo capite, à fratribus appellatus illis ver
bis, dixerunt ad illum fratres illius: Transi hinc & vade.
Ita Laban & Iacob fratres, Ita Abrahā & Loth, & in alijs
pluribus sacræ Bibliæ locis, se mutuo tā Iudei q; Christi/
ani fratris nomine salutant, ac Christus ipse, noster salutis
auctor, omnes fratres vocat, qui sui patris cælestis volun/
tatem operantur. Sic & Doctor gentium Paulus fratres
omnes appellat. Sed iam tandem comprimenda & cohibē
da est oratio, sufficiatq; mihi, pluribus adhuc minꝰ dignis
ommissis, ea precipua saltem retulisse & prędixisse vobis,
pro mea in vos obseruantia fraterna & in patriam amo/
re, quæ

re, quæ vos animo voluentes ac repetentes, omni adhibita diligentia & cura, cum summaq; promptitudine & celeritate, vel ijs remedijs per me ostensis mederi, vel nostris reiectis & spretis, aut immutatis consilijs, patriç suæ ægrotanti magis proficuam & vtiliorem medicinam (hoc modico quod iam superest interuallo, securi ad radicē apposita) adhibere festinabitis, dum tempus est consultandi ac commodum, dum ratio locum habet, & res nostræ aliquātulum in portu adhuc sunt quietæ & tranquillç, ne postea insurgente tempestate, summis veluti concitatæ fluctib⁹, subito scilicet inuadente nos tumultu, ingruentibusq; futuris bellis, intestinisq; seditionibus, discordijs, contentionibusq; mutuis inualescentibus, veluti magno aliquo impetu & turbinibus primum agitati & vexati, postea sacris publicisq; ac priuatis in prædam expositis rebus nostris, ipsi plurimis ad extremum oppresi cladibus & internitione ad vnum omnes (quod dij omen iniquum auertant) pereamus, vel ex tam præclara libertate nostra, ad tristē & infœlicem miserandamq; seruitutem redacti, ignominiosè traducamur. Quod ne eueniat, Nunc animis op⁹ est Equites, nunc pectore firmo, Fata viam inuenient.

TV AVTEM DOMINE ACcelera & Salua nos. PERIMVS.

SENECA.

Quotidie posterior deterior dies.

STATIVS.

Dubiis in rebus, peßimus augur est timor.

Typis Mathiæ Wirzbistæ, S. R. M. Typographi.

1572.

7